Sch. T.C.

DE COPVLAE EST APHAERESI.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORVM MARPVRGENSIVM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

OTTO BRINKMANN
SVSATENSIS-GVESTPHALVS

MARPVRGI CATTORVM
a. MCMVI

DE COPVLAE EST APHAERESI.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORVM MARPVRGENSIVM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

OTTO BRINKMANN

SVSATENSIS-GVESTPHALVS

MARPVRGI CATTORVM

a. MCMVI

Dissertatio referente Theodoro Birt ab amplissimo philosophorum ordine die XXIII. mensis Maii a. MCMVI adprobata.

Dear Mr. Merrill

Does not the following serve your purpose? It contains, I think, the material tabulated in useful form, though the doctrine may be erroneous.

Yours
H. W. Prescott

O. Brinkmann: De copulae <u>est</u> aphaeresi, Marburg Dissertation, 1906.

P.S. As you doubtless know, in this matter you run up against Leo's pet theory of elision (cf. Plaut. Forsch. 2d edition, p. 279 ff.). For recent criticism of which cf. Lindsay's Jahresbericht über Plautus in Bursian 1907, pp. 204 ff. — which will supply some

bibliography incidentally – Marouzeau, La phrase à verbe "être" en Latin, Paris 1910, may have something but I do not recall clearly. Maurenbrecher, Hiatus und Verschleifung. Chap. I. (Leipzig 1899), and Diehl, de m finali epigraphica, JHB f. cl. Phil. Suppl. XXV. Both would likely share some material. But I should think Brinkmann would be the most sensible short-cuts to knowledge of the facts.

[illegible]

Contractionem, qua in sermone Romanorum *es* et *est* voculae cum syllabis aut in vocali aut in *-m* vel *-s* desinentibus in unam syllabam cogebantur, retractare et quanam via quibusque de causis haec contractio facta sit anquirere operae pretium esse visum est. Quamquam enim a viris doctis non prorsus neglecta est, nemo tamen totam hanc quaestionem plene atque seorsum pertractavit, sed alii de sola generis feminini forma, alii de formis in *-s*, alii de formis in *-m* exeuntibus praecipue egerunt. Illud vero si faciemus, facilius intellegemus veram huius rei naturam et dissensionem, quae est inter viros doctos, solvere fortasse poterimus. Nam forma difficilior intellectu ceteris illustrabitur, id quod maxime quidem eveniet, si hanc contractionem ex ipsa copula *est,* quippe quae omnibus formis communis sit, magis quam ex syllabae antecedentis natura pendere apparebit. Haec res per se digna, quae cognoscatur, maiorem gravitatem acquisivit, cum Fridericus Leo, vir doctissimus, demonstrare conatus sit prisco tempore vel in sermone volgari *-s* finalem vocali non minus quam consonante insequente elisam esse; quam sententiam forma *factust*, ut exemplo utar, ex *factu(s) est* orta, firmari contendit. Nec vero formam *factum est* bisyllabam plane intellegemus, nisi controversiam discreverimus, quae de nasalium latinarum natura et enuntiatione orta postremo ab Aemilio Seelmann tractata est, non, ut arbitror, expedita.

Qua in quaestione imprimis codices Plautinos excutiendos mihi proposui atque operam quidem dabo

inquirendo, numquid ad illam rem grammaticam interpretandam valeant antiquissimorum librorum et qui ad priscam latinitatem redeant scripturae, sive genuinae Plautinae sunt sive postea irrepserunt. Casus enim fere omnes, quos singula verba verborumque comprehensiones perpessa sunt, in inscriptionibus et libris manu scriptis vestigia reliquerunt, et, quod idem valet, omnia fere librariorum errata, quae constantia quadam recurrunt, fluxerunt aut ex pronuntiatione commutata aut ex prava verborum derivatione, perpauca ad calami errorem referenda sunt. Propterea scripturae veteres, si quae extant ab usu communi aberrantes, non nihil ad obscuras formarum originem et pronuntiationem intellegendas afferre possunt.

Sed priusquam ad ipsam rem aggredimur, breviter percurramus, quomodo illa, quam dixi, res grammatica a viris doctis intellecta sit. Apud antiquos quidem grammaticos latinos nulla extat huius elisionis interpretatio, nisi ea, quae Marius Victorinus minima sane subtilitate disputat, interpretationem esse concedemus: *Cum fuerit autem*, inquit, *scriptum ‚audiendus est' et ‚scribendus est' et ‚mutandus est' et similia generis masculini, primam vocem integram relinquetis, ex novissima autem ‚e' et ‚s' detrahetis. idem facietis in femininis, ut prima vox, cuius generis sit, appareat, idemque in neutris.* (Gr. L. VI 22,14 K.) Quamvis sint haec indiligenter scripta, id tamen ex eis apparet hunc virum grammaticum formas illas non prioris vocis, sed copulae mutatione ortas esse putavisse, et praeterea, id quod gravius est, quarto p. Chr. n. saeculo, siquidem Victorino fides habenda est, *-ust* non minus quam *-ast* et *-umst* enuntiatum esse, cum scriberetur *-us est*, *-a est*, *-um est.* Quam scribendi rationem cum sermone cottidiano discrepantem vituperat idem Victorinus paulo antea: *legistis praeceptum antiquorum, qui aiunt scribi quidem omnibus litteris oportere, in enuntiando autem quasdam litteras elidi. in quo, ut idem saepius dicam, bis peccatis,*

quod aliud scribitis quam legitis et aliud legitis quam scriptum est. Victorini igitur temporibus vetus erat consuetudo distracte scribendi *-us est*, *-a est*, *-um est.* Quod ad formam *-a͡est* pertinet, omnes consentiunt *e* vocalem copulae *est* elisam esse priore vocabulo integro servato. Neque umquam, quantum vidi, dubitaverant viri docti, quin etiam in reliquis formis *-us͡est* et *-um͡est* syllabae *es* et *est* aphaeresi, quam grammatici dicunt, praecisae essent, quae est Victorini sententia. Sic exempli gratia Ritschelius ipse (Proleg. in Trin. p. 107; 325) disertis verbis de aphaeresi copulae *est* locutus erat. Primus autem Franziscus Buecheler, vir doctissimus, libelli qui est de declinatione latina (denuo ed. ab J. Windekildio) pag. 18 et 19 *similist* (*=similis est*) ex *simili est*, *mercist* (*=mercis est*) ex *merci est*, *usust (=usus est)* ex *usu est* orta esse dixit eiecta littera *s.* Atque deinde anno 1895 Fridericus Leo, ut dixi, Quaestionum Plautinarum pag. 253 sqq. egit de syllabarum *-us est* in *-ust* contractione, qua in quaestione nisus usu Plautino diligentissime observato eo pervenit, ut *-us est* non nisi per *-u est* in *-ust* transire potuisse affirmaret.*) Neque tamen haec sententia in compendia grammaticae latinae quae postea in lucem edita sunt, est recepta. W. Lindsaius enim libri de lingua latina, quem Johannes Nohl in nostram linguam vertit anno 1897, pag. 142 copulae *est* vocalem elisam esse iudicat et anglicas formas *it's* pro *it is*, *he's* pro *he is* confert; atque Leonis sententia in

*) Extant Sisennae verba Gr. L. VI 561: *(Sisenna) in Captivis sic ‚Hic ornatu s litteram metri causa amisit.‘* Sed *ornatus* duobus locis, quibus in Captivis legitur (v. 447 et 997) trisyllabum esse potest. Propterea Leo, Quaest. Plaut. pag. 232 Sisennam versum 997 falso scandisse coniecit, cum W. Lindsay (Ancient editions of Plautus p. 28 adn. p) librarii errorem statuat et mavelit emendare *hic ornatus r litteram metri causa amisit;* altero enim loco prima eius vocabuli syllaba brevis breviantis, quam dicunt, vi minuitur. Ex his verbis, nisi omnino corrupta sunt, intellegi potest, ne tam antiquos quidem grammaticos, qualis est Sisenna, metricae artis Plautinae satis

adnotatione ab eo memoratur quidem, non probatur. Stolz autem et Schmalz, qui in Grammaticae latinae anno 1900 editae p. 98 brevissime rem tetigerunt, et *-ust* et *-umst* per analogiam formae *-ast*, quae ipsa elisione vocalis *e* orta sit, formata esse volunt; in quo eorum, quae Leo l. l. exposuit, ne mentionem quidem faciunt. Nostrum erit disserere utrum iure hi viri docti Leonis conclusiones in compendia recipere dubitaverint necne. Anno denique 1899 in Philologiae classicae annalibus (ed. Fleckeisen) Ernesti Diehl tractatus, qui est *de m finali epigraphica*, in lucem editus est. Quo tractatu in lapidibus pro *-um est* numquam *-umst*, quae scribendi ratio ex libris manuscriptis in nostram consuetudinem transiit, sed praeter *-um est* nihil nisi *-ust* scriptum esse docemur. Nisi quod haec quoque scriptura rarissime invenitur; sex enim tantum vel septem exempla Ernestus Diehl l. l. pag. 117 afferre potuit:

1. Buecheler carm. epigr. I 848,2:
   Adulescens, tametsi properas hic te saxsolus
   rogat ut se aspicias, deinde ut quod scriptust legas.
   Est carmen iambicum Sullae fere aetatis; Vindobonae repertum. Congruit cum Pacuvi epigrammate a Gellio I 24,4 laudato, nisi quod hic *scriptum est* non *scriptust* traditum est.
2. CJL III 12013,3: *vita · brevis · spes · fragi [lis ven] ite · accensust · dum · lucet · bibamus · sodales.* — *accensust* scil. *lumen.* — saec. I.

---

peritos fuisse, ita ut versibus plane intactis medelas incertissimas inculcare conarentur syllabam in *-s* exeuntem elidentes. In quantos errores posteriores quoque grammatici eadem re sint pellecti, ex illis apparet, quae Servius ad Aen. XII 709 *Inter se coiisse viros et cernere ferro* adnotat; in quem versum antiqua corruptela *decernere* irrepsit. Docet Servius antiquos legisse *viros͡ et decernere: posteritas,* inquit, *coepit legere ,et decernere ferro.' secundum quam lectionem synalipha opus est, sed excluso ,s', ut sit ,viro et decernere ferro.'* — Nulli denique usui sunt in hac re discernenda, quae ex Sisenna attuli.

3. CJL VI 13528 = Buech. Carm. ep. II 1559 saec. III vel IV: v. 16: *Ortus et occasús vítaque morsque itidest.* v. 3 legimus *maritost,* v. 10 *amplesast.*
4. CJL IX 3821 = Buech. Carm. ep. I 241: *Cogitato te hominesse et scito moriendust. vale.* cf. *hominesse.*
5. et 6. CJL X 5371 v. 7 sq. = Buech. Carm. ep. I 118:
Hospes resiste et nisi molestust perlege
noli stomacare. suadeo, caldum bibas moriundust. vale.
7. In hoc numero habenda est inscriptio CJL XI 4010 = Buech. Carm. ep. I 120 v. 7:
Eus tu viator, veni hoc et queiesce pusilu
innuis et negitas? tamen hoc redeudus tibi.
i. e. *redeundum est tibi.* Littera *-t* omissa *-us* pro *-ust* = *um͡ est* scriptum saepius in libris Plautinis reperiemus.

Pergit Diehlius: *Eandem certo pronuntiationem produnt ii versus, in quibus M ante EST omissa est;* affert: CJL IX 2114 = Buech. Carm. ep. I 187 v. 2: *Quód comédi et ebibi tantúm meu͡ est.* — Augusteae aetatis: elogium.

CJL VI 10731 = Buech. Carm. ep. I 647 v. 2 *Natos habere bonu͡ est, si non sint invida fata.*

Huebner Inscr. Hisp. christ. 255 (saec. p. Chr. n. X): *divisu est.*

Idem vir doctus etiam scripturas librorum Plautinorum per tabellas composuit et contulit. Sed orthographiam tantum eorum est perscrutatus, minus exposuit causas, quibus formae contractae originem deberent. Neque tabulae illae in meum usum erant idoneae, sed alia disponendi ratione supposita denuo a me compositae sunt. Qua in collatione non enotavi nisi ABCD codicum scripturas; iis tantum locis, quibus C vel et C et D desunt, codicum Vaticani (V), Ambrosiani (E), Britannici (J), qui ex eodem fonte cum illis fluxerunt, scripturae neglegendae non erant. Adnotationes criticae in hoc opusculo collatae

tractae sunt ex accuratissimo apparatu editionis Ritschelianae assumptis Goetzi Loewi Schoelli operis confectae.*)

Jam ipsam quaestionem introeamus. Atque ex re visum est, ut ab apertis ad difficiliora progrederemur, primum paucis agere

I. De copulae *est* post vocalem positae aphaeresi.

Copula *est* a poetis Romanis cum vocali quidem antecedente omnibus temporibus in unam syllabam contrahebatur. Neque hoc in solis poetarum versibus usitatum erat, sed ex sermone cottidiano id translatum esse praeter grammaticorum dicta ex inscriptionibus cernitur: e. gr. *-ast* pro *-a est* scriptum legimus CJL I 7; 1012; 1479 (bis); alibi. In monumentis autem publicis *est* semper usque ad Augusti principatum omnibus litteris scriptum esse Carolus Lachmann ad Lucreti lib. I 993 adnotavit. Idem quod ex inscriptionibus illis apparet ex Ciceronis aliorumque scriptorum codicibus, in quibus scriptura contracta haud ita rara esse videtur. Cuius scripturae exempla ex palimpsestis libris Ciceronianis collegit Guilelmus Freund libelli, qui inscribitur, *Ad orationem pro Milone* etc. pag. 19 sq. Alia ex Ciceronis scriptis Fridericus Osann (ed. Cic. rep. excurs. XVII) et Madvicus (ed. Cic. de officiis pag. 444) contulerunt. Codicum denique Vergilianorum lectiones compositae sunt a Woldemaro Ribbeck (Proleg. pag. 419).

A synaloepha quidem, quae dicitur, haec res diversa est; nam cum vi synaloephae prior vocalium eiciatur, contra hac condicione prius nomen intactum manere, copulae vocalem *e* extrudi codicum lapidumque scripturae certissime docent. Contracte enim in libris quidem Plautinis semper *dictast homost* similiter scriptum legimus, non **dictest* **homest*. Si tamen in libris Plautinis hic illic

---

*) Versuum numeri ad habiliorem Leonis editionem spectant.

formae inveniuntur, in quibus prior vocalis excidisse videatur, e. gr. Bacch. 840 *frustres* pro *frustra's* P; cf. 106 *vectes* CD; Amph. 534 B[1]E *da.' est;* Men. 188 *tuest* P; 614 *miseres* B[1]CD; Most. 255 *commodes* P; Pseud. 188 *amices* B, his ea, quae antea dicta sunt, non refutantur, sed hae scripturae ortae sunt ea re, quod librarii cum *frustraes* in proposito legissent, *ae* in *e* corruperunt, ut solebant. Hanc profecto veram formae *frustres* similiumque originem esse inde maxime cernitur, quod talia non extant, nisi si *a* littera cum *es* vel *est* collidebatur. Sunt sane alibi etiam eiusmodi lectiones traditae, quales *imest* pro *imoest* Verg. Aen. V 178 R; *magistr est* pro *magistroest* Aen. V 224 χ (= nonnulli deterioris notae codices); sed hae ad eandem causam referendae sunt; nam *oe* cum *e* non minus confundebatur quam *ae* cum *e*. Pro *oboedire* saepe *obedire*, contra pro *cena* saepe *coena* scribebatur, ut alia mittam. Quod autem non prioris nominis vocalis extrema evanescebat, sed vocis *est* (et *es* scil.) vocalis *e*, eius rei causam ex ipsa *est* et *es* vocularum natura quaeri necesse est. Atque recte a W. Corssenio libri qui inscribitur Ueber Aussprache . . . . der lateinischen Sprache vol. II pag. 645 sqq. repetita est ex copulae natura enclitica, qua fit, ut syllabis *ĕs* et *ĕst* non proprio accentu enuntiatis vocalis natura brevis magis etiam attenuetur atque in orationis contextu plane intereat. Accedit ad copulae naturam encliticam mira quae stirpis *es-* vocali inerat infirmitas, ita ut nonnullae formae vocalem *e* omnino amitterent: confer Varronis verba (L. l. IX 100): *‚sum' quod nunc dicitur olim dicebatur ‚esum'*. Etiam debilem stirpem *s-* praeter *es-* extitisse hodierni grammatici docent, a qua formas *sim sumus sunt* derivant. Utrum autem in composito, quale est *ductast*, littera *a*, ut littera *e* eiecta compensetur, producta an positione tantum, quae dicitur, longa facta sit, apud Plautum quidem discerni non potest, cum Plauti temporibus *es* quoque in duabus

consonantibus desierit, *s* scilicet geminata; *es* enim ex **es-s(i)* ortum esse inter viros doctos constat.

Una est particula *-ne*, quae cum habeat et ipsa vocalem infirmissimam, dubitationem movere possit, utrum re vera *est* copula an ipsa particula sit mutilata: e. gr. utrum *certumne'st* vel *itane'st* an *certumn'est* vel *itan'est* scribendum sit. Profecto verisimilius est particulae *-ne* vocalem elisam esse, praesertim cum etiam alias nulla necessitate urgente omissa sit: cf. *viden* pro *videsne*, *itan* pro *itane* similiaque.

Nihilominus apparet certe *e* vocalem copulae *est* secundum naturam suam tenuem fuisse atque inclinatam, ut in orationis contextu plane evanesceret, quod quidem alia vocali antecedente numquam fere non factum est.

Ut denique codicum Plautinorum scribendi usum perspiciamus, satis erit unius fabulae scripturas enotare atque disponere. Bacchides sumam, cum haec fabula inter eas sit, quae melius traditae sunt. Duo fere scripturarum genera extant: *-a est* et *-ast;* pronuntiandum est ubique contracte *-ast*.

Scriptum est: *1) -a est, -o est* etc.:

in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
529	538 ABD	—	74°, 106°, 121° 136°, 161, 164° 191, 192 (bis), 331 350, 386, 415, 454 520×, 595, 601°, 615 665, 667, 718, 789 803°, 830, 850, 877 887, 901, 905, 976 1078, 1128, 1161 1172°, 1191	47CD, 50CD, 106B, 168CD 193C,D suprascr. *est*, 194CD 216CD, 219CD, 225CD 244CD, 274CD, 309CD 365CD, 398CD, 557×CD 597D, 635B, 713CD 720CD, 721CD, 726CD 763CD, 783CD, 807CD 821(bis)CD, 840CD, 843CD 844CD, 887CD, 892CD 899C, 901CD, 1066BD 1086CD, 1111CD, 1114CD 1165CD; 1173CD, 1181CD.
1	1	—	26 + 1× + 8°	39 + 1× (35CD).

Brevitatis causa hoc signo ° alteram personam a tertia distinxi et signo × eos locos notavi, quibus libri laudati cum Ambrosiano discrepant.

2) *-ast*, *-ost* etc.:

in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
502 (*-umumest* A; *ume st* B; *-ũ ẽ* D; *-umest* C) 670 (A dub.)	557A; *B (o st)*	520	640D; *-o st*BC 616 (nisi quod *-o st* B) 625; 1157° (*nihili's id*] *nihili sit* B *nihile sit* CD)	*47*B, 50(*-ast*)B, *168*(*-a st*)B *193*B, *194*B, *216*B, *219*B, *225*B, *244*B, *274*B *309*B, 365B, *398*B 538C, 597C, *B*, 635CB 713B, *720*B, 721B *726*B, *763*B, *783*B 807B, *821*(*bis*)B, *840*B *843*B, *844*B, 877B *899*B, *901*B, 1086B *1111*B, 1114B, *1165*B *1173*B, *1181*B.
2	1	1	3 + 1°	37 (*29*B + 5 B).

Ad quae pauca sunt adnotanda. Primum mirabimur, quod semel tantum (v. 1157) alteram personam contracte scriptam invenimus et eam quidem adeo corruptam. Cuius rei causam inde repetiverim, quod *factas feminas* sim. cum acc. plur. congruebant, id quod scripturam distractam commendabat. Tamen non desunt contractae scripturae vestigia: Cas. 397 *tutes* J, *tute es* BVE; 1007 *iratas* A, *irata es* P; Epid. 152 *consiliis* AF, *consilii es* BJ; Men. 731 *mal·s* B¹ *mala es* B²CD; Merc. 529: *redemptas* A, *redempta es* P; 682 *sanas* B, *sana es* CD, A n. l.; Mil. 906 *exlocuta's*] *exlocuta st* B, *exlocatust* D, *exlocuta est* C; 1055 *tutes* P, *tute es* A; Most. 1142 *qui's*] *quis* libri (A n. l.); Pers. 206 *dignas* BCD, *digna es* F; Rud. 467 *acceptura's*] *-ras* CD, *-ra* B; Trin. 454 *tu es sanus*] *tus sanus* P, *tu sanus*

A; 987 *ipsusnes* B, *ipsus es* CD; 988 *ipsus nes* B, *ipsusne es* CD; (A n. l.); Truc. 262 *solita's*] *solitas* AP; cf. Mil. 615.

Porro tricesies fere in CD distracte *-a est* scriptum est, cum in B *-ast* scriptum legamus, vel potius mira constantia *-a st*, *-o st* etc.; quos locos in tabella linea numeris supposita denotavi. Quae codicum B et CD ratio, quamquam alibi non tam crebris exemplis conspicitur, in omnibus fere fabulis Plautinis invenitur, tribus sane prioribus exceptis, in quibus perpauca omnino scripturae contractae vestigia servata sunt. Jam vero dubitare possumus, utra harum antiquior sit lectionum. Tamen librarium illius libri, ex quo C et D fluxerunt, formas, quas contracte scriptas in proposito legerat, distraxisse probabilius esse mihi videtur quam contra librarium codicis B contractam scripturam induxisse. Quae sententia versu 557 comprobatur, ubi in A *-OST*, in B *-ost*, in CD *-o est* scriptum legimus; et fortasse codicis Veteris scripturas ad librarium vel virum doctum illum referre licet, qui primus verba, quae olim in P, sicut in A, continuate scripta fuisse verisimile est,*) distinxerit. Quod genus distinguendi deinde B diligentissime tradidit, nec semel in CD quoque haec scriptura est servata: Men. 600 *negotii st* CD (*negotii est* B); Merc. 639 *animo st* CD (*-o est* B); Merc. 382 *in tuto st* BCD, quamquam in C saepius extat quam in D, in B saepius quam in C, id quod optime convenit cum fide, quae singulis codicibus ex omnium consensu habetur. Plerumque autem codicum CD librarii ad *st* litteras a vocabulo priore remotas vocalem *e* adiecerunt, neque codicis Veteris librarius hac licentia semper abstinuit. Interdum autem scripturam *-a st* in *-ast* rursus contractam esse concluditur ex talibus locis, quales sunt: Trin. 63

*) Continuatae scripturae indicium est, si e. gr. Trin. 897 in B legimus: *isipsusnesaio* pro *is ipsusn'es? aio.* cf. Lindsay, The palatine text of Plautus, Oxon. 1896.

-a st BC, *-ast* D; Pseud. 18: *tibi st* BC, *tibist* D (cum A. qui scil. hac in re nihil valet); Truc. 967 *tutela st* C, *tutelast* BD; similes.

Sed haec hactenus. Restat, ut de corruptelis, quae in Bacchidibus extant, ex *-ast -ost* sim. ortis pauca dicam. v. 220: Chrysalus erum absentem, cuius puellam Pistocleri opera modo repperit, adloquitur:

Edepól, Mnesiloche, ut hánc rem natam intéllego
quod ames paratumst: quod des inventost opus;
nam istic fortasse auro (-um P) *est opus. — Philippeo quidem* affirmat Pistoclerus, qui cum (v. 169—178) in Bacchidum sororum domo versaretur, Cleomachum militem, priorem Bacchidis amatorem, audivit ducentos Philippeos aureos postulare, ut illam dimitteret. Hac forma *Philippeo*, quae ex praemisso *opus est* pendet, etiam *auro* scribendum esse apparet, sicut in priore versu *inventost opus* legitur. Mutavit igitur librarius codicis P constructionem et *opus est* cum nominativo ponere voluisse videtur, quae constructio nonnumquam apud Plautum invenitur: e. gr. Curc. 252, 519 (?). Similem constructionis immutationem a librario factam vide Bacch. 405: *experiar sitne aceto tibi cor*] *acetum* P; A n. l. — v. 852: Chrysalus summa impudentia ipso Pseudulo non indigna militem illum Cleomachum, qui valde iratus advenit, Bacchidis coniugem esse mentitus est, atque hanc quidem cum Mnesilocho ipsius filio in domo proxima potantem Nicobulo ero seniori modo ostendit. Ad quae Nicobulus exterritus: *Quid vír?* Chrys. *Vir inquam.* Nic. *Núpta est illa, óbsecro?* Editores *núptan'est illa óbsecro* mutant facillima saltem correctura, cum *-ne* particula saepius interciderit: e. gr. Merc. 461 et Stich. 482; quo utroque loco P *-ne* illud omisit, A recte servavit scribens *certumnest* vel *certumne est*; cf. Trin. 987/88 et saepius. Tamen haud scio, an id, quod traditum est, retineri possit. Particulam enim *-ne* Plautus, quamquam posuit plerumque, satis saepe in

sententiis interrogativis omisit (e. gr. Curc. 572-73; 582; 621; 623; 712; Bacch. 317; 321; 470; 627; 681: 777; 784; 854). Hiatus quoque, qui est ante *obsecro*, excusari potest; vide Theodorum Birt, qui libri, qui inscribitur Der Hiat bei Plautus und die lateinische Aspiration, p. 318 sq. verba a litteris *ob* incipientia, quippe quae acriore exspiratione expressa sint, hiatum admisisse exposuit. Accedit, quod „obsecro" pro interiectione positum est, apud quas ne Vergilius quidem aliique poetae, quos classicos appellamus, hiatum semper spreverunt (Klotz, Altrömische Metrik pag. 104 sq.; Lindsay, Ancient edtions of Plautus pag. 118 sq.). —

v. 892: *est* om. B. — v. 899: *est* om. D. — v. 937: nomen proprium *Sinost* in *sinon* (*si non* D) *est* corruptum est (A n. l.) — v. 1066: *necessest* in *necesse sit* C: omnia haec corruptelarum genera satis saepe in omnibus libris manuscriptis, neque solum Plautinis, redeunt; ad corruptelam *sit* pro *-st* vide, quae Madvicus collegit (ed. Cic. de off. pag. 444).

De lectionibus *vectes*, *frustres* similibus supra (pag. 11) dixi. Neque v. 1150 *quam odiosum est*, quae libri tradunt, cum Theodoro Bergk in *quamquam odiost* commutanda esse Reinholdus Klotz (l. l. pag. 429) recte animadvertit. Nam Bergkii coniectura comprobata ut verba aliquantum dilucidiora et elegantiora legentibus nobis esse videntur, ita histrionum ludus minus vividus fit et quasi exsanguis. Qua re cum ad Plautum hoc pertineat, alacritatem elegantiae anteponere non dubitabimus. *Odiosus* adiectivum Plautus his locis adhibuit: Bacch. 136; 1062; Merc. 608; Mil. 427; 655; Pers. 236; Truc. 619.

II. De copulae *est* post *-m* positae aphaeresi.

Quicumque de hac re agere animum induxerit, proficisci debet ab Ernesti Diehl tractatu supra laudato, qui *de m finali epigraphica* inscribitur. De hac quidem quam agitamus quaestione pag. 117 sqq. disseruit et, ut supra dixi, in titulis pro *-m est* sexies vel septies *-st*, numquam *-mst* scriptum esse docuit. Quae scribendi ratio, quae Sullae iam temporibus atque inde per complura saecula in lapidibus invenitur, etiam in antiquiorum scriptorum libros pro *-mst* recipienda esse videtur, quippe quae una, si scripturam dissolutam *-m est* longe usitatiorem praetermittimus, liberae rei publicae consuetudini conveniat, praesertim cum etiam in manuscriptis libris Plautinis haud ita raro scripturam *-st* pro *-m͡ est* servatam esse idem Ernestus Diehl pag. 120 animadverterit. Tamen male eveniebat, quod hac scribendi ratione masculini et neutrius generis formae cum *est* in unam syllabam coactae litteris inter se non distinguebantur. Sed dixerit quis id non scripturae, sed linguae latinae vitium fuisse; nam utrumque, et *factus͡ est* et *factum͡ est*, *factust* enuntiatum esse ex ipso lapidum scribendi usu apparere. Quae conclusio non vera esse mihi videtur. Etiamsi inscriptionum auctoritate coacti scripturam *-st* pro *-m͡ est* recipiemus, tamen non supervacaneum erit rationes componere, quibus *-um͡ est* aliter atque *-us͡ est* enuntiatum esse comprobetur.

Primum enim vocis cuiuslibet enuntiationem ab eiusdem effigie, quae litteris circumscribitur, discernendam esse ne neglegamus. Nam satis saepe litterae scriptae cum voce enuntiata non plane conveniunt, cum propter parvum litterarum numerum pro linguae humanae sonorum multitudine fieri non potuit, quin omnibus temporibus voces satis inter se differentes isdem litteris redderentur atque ab omnibus reciperetur ratio aliqua scribendi, quae ad

vocem enuntiandam accederet quam proxime, quamquam imago eius plane vera non esset. Quae cum ita sint, ex ea re, quod *factum^est*, ut exemplo supra allato utar, et *factus^est* pariter isdem litteris *factust* reddebantur, non statim pariter, sed tantummodo similiter ea enuntiata esse concludere licet. Quod quidem ad formae *factus^est* enuntiationem pertinet, dubitari non potest, quin revera cum scriptura *factust* accurate convenerit. Sed hanc nunc mittamus et quomodo *factum^est* enuntiatum sit, prius quaeramus.

Antea autem quam de hac re dicam, tabulas nonnullas inseram, quibus codicum Plautinorum usus scribendi accuratius conspiciatur.*)

*) Plenum lectionum indicem in fine opusculi adieci.

Et creberrima quidem est scriptura *-m est*:

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino	Summa
Amph.	—	—	—	41	5	46
Asin.	—	—	—	28+1°	(contra libros Non. 7, Serv. 1)	29
Aul.	—	—	—	38	2	40
Bacch.	—	1ACD	1	$7+1^{\times}$	$29+1^{\times}$	40
Capt.	—	—	—	25+2°	5	32
Casin.	8	—	—	$17+7^{\times}+1°$	4	37
Cist.	—	—	—	$15+2^{\times}$	(1 Gellius 1 Priscian.)	17
Curc.	—	—	—	20+1°	2	23
Epid.	2	2	3+1°	10	$6+1^{\times}$	25
Men.	4	—	—	30	4	38
Merc.	1	—	—	$11+4^{\times}+1°$	$9+2^{\times}$	28
Mil.	5	1	11	$21+2^{\times}$	13+1°	54
Most.	2	—	3	$23+6^{\times}+2°$	3	39
Pers.	3	—	7	$5+4^{\times}+1°$	1	21
Poen.	8	1	3	$18+8^{\times}$	4	42
Pseud.	7	1	10	$13+5^{\times}+2°$	5	43
Rud.	2	—	—	$30+2^{\times}$	8	42
Stich.	6	—	1	$7+19^{\times}$	1	34
Trin.	2	1	16	3+2°	3	27
Truc.	1	—	2	$12+4^{\times}+2°$	4	25
Vidul.	—	—	1	—	—	1
Frgm.	—	—	—	--	(Gell. 1, Charis. 1.)	—
Summa	51	7	58+1°	$374+66^{\times}+15°$	$108+4^{\times}+1°$	685

Scriptura *-st* his locis servata est: *)

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino	Summa
Amph.	—	—	—	2	1	3
Asin.	—	—	—	—	4	4
Aul.	—	—	—	—	—	—
Bacch.	—	—	—	2	4	6
Capt.	—	—	—	—	3	3
Casin.	—	—	—	—	—	—
Cist.	—	—	—	—	1	1
Curcul.	—	—	—	1	1	2
Epid.	—	—	1	—	1	2
Men.	1	—	—	3	2	6
Merc.	—	—	1	—	2+1×	4
Mil.	—	—	—	1	6	7
Most.	—	—	1	—	—	1
Pers.	—	—	1	1	1	3
Poen.	—	—	3	—	2	5
Pseud.	—	1	1	2+1×	2×	7
Rud.	—	—	—	4	1	5
Stich.	—	—	6	—	—	6
Trin.	—	1	2	3+1×	4	11
Truc.	—	—	1	2	1	4
Vidul.	—	—	1	—	—	1
Summa	1	2	18	21+2× (23)	35+2× (37)	81

*) In codicibus Terentianis *-ust* pro *-um* ^ *est* non inveni nisi in Bembino: Eun. 612; 959; Hecyr. 457.

Scriptura denique *mst* his locis extat:

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino	Summa
Amph.	—	—	—	1	2	3
Asin.	—	—	—	11	4	15
Aul.	—	—	—	3	2	5
Bacch.	—	—	—	1+1×	26+2×	30
Capt.	—	—	—	3	7	10
Casin.	3	—	8	1	—	12
Cist.	—	—	5	—	1	6
Curc.	—	—	—	11	2	13
Epid.	—	1	1	—	7+2×	11
Men.	—	—	—	3	2	5
Merc.	1	3	1	9+2×	7	23
Mil.	1	1	6	6+2×	16	92
Most.	—	—	4	1	3	8
Pers.	3	1	3	2+6×	2	17
Poen.	5	—	7	10+3×	4	29
Pseud.	—	—	4	5+4×	3	16
Rud.	—	—	2	3	9	14
Stich.	1	—	13	2	1	17
Trin.	1	—	1	19+7×	11+1×	40
Truc.	—	—	4	3	4	11
Vidul.	—	—	1	—	—	1
Summa	15	6	60	94+25× (119)	113+5× (118)	318

Si has tabulas percurrimus, *-ust* pro *-um est* toteis in libris Plautinis et in A et in P scriptum legimus, ut, quamquam scripturam solutam longe creberrimam esse videmus, vix dubitare possimus, quin Plautus ipse hac scribendi ratione saepissime usus sit. Sed semel tantum A et P eodem loco de hac scriptura consentiunt: Men. 263. Quod si non saepius factum est, ad librariorum proclivitatem quandam id referendum est, qua pelliciebantur, ut verborum orthographiam ad ipsorum scribendi consuetudinem accommodarent. Qua re saepissime antiquam scripturam *-ust* in recentiorem *-umst* vel usitatissimam illam *-um est* transiisse consentaneum est: sicut supra in capite primo scripturam *-ast* multis locis a librariis in dissolutam scripturam *-a est* commutatam esse vidimus. Re vera hac via scripturam *-ust* in *-um est* transiisse optime demonstratur Vergilianorum codicum lectione quadam: nam Georg. III 148 schedae Vaticanae vetustissimae F praebent: *(cui nomen asilo)* [*roman*]*VST*, cum in codice Romano R scriptum legamus: *ROMANVMEST* (*E* man. rec.), in reliquis: *ROMANVMEST*. Similiter in codice rescripto, qui Ciceronis de re publica libros continet, lib. III cap. 5 extat: *VERENDVMST**). Certe in nostrorum codicum Plautinorum fontibus hanc scripturam *-ust* olim etiam crebrius obviam fuisse verisimillimum fit atque plerisque locis illis, quibus nunc *-umst* extat, initio *-ust* scriptum fuisse putaverim. Nam *-mst* neque antiquissimis neque ipsis optimae latinitatis temporibus inveniri potest; qua re ne extitisse quidem hanc scripturam fortasse credere licet. Contra sane in vetustissimis iam codicibus imprimis Plautinis Terentianis Ver-

---

*) Adnotat enim F. Osann, qui tales res orthographicas diligentissime observavit: *verendumst] Ita cod. facta aphaeresi, tametsi interposita lit. ‚m.' Scilicet etiam in carmine elidi solet ‚m,' quia in pronuntiando opprimebatur.*

gilianis *-mst* scriptura ita praevalet, ut in satis antiqum tempus eam redire comprobetur. In Ciceronianis autem schedis rescriptis, excepto illo loco supra commemorato (rep. III 5), semel tantum *-umst* (Rabir. I 33), ceteris tribus et triginta locis *-um est* dissolute scriptum est (Guil. Freund ad or. pro Mil. pg. 19 sq.).

Iam si quaerimus, quonam modo pronuntiatum sit hoc *-um ̑ est*, ex utraque scriptura, et ex *factust* et ex *factumst*, copulae *est* vocalem eiectam esse apparet, ita ut *m* in mediam vocem venerit. Praeterea ex illo *factust* certissime sequitur, ut littera *m* labris coeuntibus distincte expressa audita non sit; nam ni ita esset, nullo modo fieri potuisset, ut *m* scribendo neglegeretur. Contra *m* non plane suppressam esse scriptura *-umst* probatur, qua *-ust* illud adeo ex usu remotum est, ut exceptis lapidibus et Plautinis Terentianisque codicibus vix eius vestigia relinquerentur: e. gr. Cic. de rep. III 5; Verg. Georg. III 148, quos locos supra commemoravi; item Catulli c. LV 1: *molestus es* codices tradunt, sub quo *molestust* = *molestum ̑ est* latere Theodorus Birt (Philol. LXIII pg. 450) vidit. Saepius enim huius scripturae littera *t* intercidit, cf. CIL XI 4010 *redeudus tibi* (supra pg. 9). De talibus formis, quae ne in Plautinis quidem libris desunt, infra pauca dicturus sum. Iam vero, quod litteram *m* in scriptura restitutam vidimus, id ad solam formarum *-us -a -um* analogiae vim referendam esse nego neque antiquiorem scripturam remotam fuisse probabile est, nisi recentiori illi adiumento fuisset ipsa enuntiatio. Accedit, quod etiam certum testimonium extat, quo *m* ex litteris *-um ̑ est* non prorsus evanuisse demonstretur. Marius enim Victorinus grammaticus, qui quarto p. Chr. n. saeculo vixit, disertis verbis supra landatis (Gr. L. VI 22, 14 K.) dicit in *audiendum ̑ est* consonantem *m* esse enuntiandam, qua re neutrum genus a masculino differat.

Accedit denique scriptura *-nst* (*factunst* etc.), quae in libris Plautinis his locis invenitur:

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno alterove Palatino	Summa
Bacch.	—	—	1	—	3	4
Capt.	—	—	—	—	3	3
Cist.	—	—	1	—	—	1
Merc.	—	—	7 vel 8	—	—	7 vel 8
Most.	—	—	2 vel 3	—	—	2 vel 3
Pers.	—	—	1 (*-nest*)	—	1	2
Poen.	—	—	2 vel 3	—	—	2 vel 3
Pseud.	—	—	3	—	—	3
Rud.	—	—	—	—	1	1
Trin.	—	—	1 (?)	4	3	7 vel 8
Truc.	—	—	—	1 (B: *unt*)	2	3
Summa	—	—	17+4 dubia	5	13	35+4 dubia

Iam quaerendum est, utrum haec quoque lectio antiqua sit necne. Et obici quidem potest ne uno quidem loco ambas, quae extant, recensiones consentire in hac scriptura. Attamen de calami erratis cogitare propter locorum crebritatem non possumus. Et profecto, si quis cum animo suo consideraverit, quod gravissimum est, librariis rationem *-mst* scribendi notissimam atque usitatissimam, contra *-nst* scripturam a saeculi eius consuetudine alienissimam fuisse, concedet facillime evenire potuisse, ut *-nst*, si antiquitus extabat, tamen toties ex altera recensione evanuerit. Quae cum ita sint, scripturam *-nst* ad communem recensionum Ambrosianae et Palatinae fontem referre nobis licebit. Quem Leo, Quaestionum Plautinarum pg. 46, altero p. Chr. n. saeculo ortum esse coniecit, W. Lindsay autem, postquam Otto Seyffert argumentorum, quae Leo protulerat, infirmitatem animadvertit (Berl.

Philol. Ws. a. 1896 pag. 234 sq.), maiore, ut videtur, probabilitate reduxit usque in alterum ante Chr. n. saeculum.*) Ad hanc igitur aetatem 16 illas vel 21 codicis A et quinque recensionis Palatinae lectiones referemus. Ex tredecim praeterea illis lectionibus, quibus in uno aut altero Palatino *-nst* traditum est, undecies in optimo B, semel in D, semel in E hanc scripturam legimus. His quoque locis in Vetere codice genuinam lectionem servatam esse quam pro *-mst*, quod librariis notissimum erat, inauditum illud *-nst* irrepsisse verisimilius mihi videtur. In CD autem detritum illud *-mst* omnino vicit, *-nst* paene oblitteratum est. Ad quae conferas velim, quae supra p. 14 dicta sunt, ubi eadem ratione in uno B scripturam *-a st* servatam esse suspicati sumus eamque in CD plerumque in *-a est* aut *-ast* esse commutatam.

Primus F. Leo ad hanc lectionem attendit, sed Quaest. Plaut. pag. 253, ubi rem tetigit, non recte interpretatus est. Dicit enim l. l. nihil nisi haec: *Erleichterung der Aussprache ist -unst für -umst, 18 mal in A, in P z. B. Trin. 271.* Ernestus Diehl l. c. huius scripturae ne mentionem quidem facit, qua re Leonis sententiae assentiri videtur. Equidem hanc scripturam non novae pronuntiationis tum recens ortae testimonium, sed nihil nisi tertium librariorum conatum fuisse aio, quo obscuratae *m* litterae sonum accuratius reddebant. Quod autem ab iis tum *-um est* distracte, tum *-ust*, tum *-unst* scribebatur, ad diversam enuntiationem non spectabat, sed omnia prorsus pariter efferebantur.

---

*) Libri, qui inscribitur *Ancient editions of Plautus* ed. Oxonii 1904 pg. 37: *J think that the A^A-text is shown to be mainly a representative of the genuine ‚ipsa verba' of the plays, the P^A-text to hold in nucleus most of the ‚Revival' adaptions and that the two rivals (or at last the first) are possibly to be traced back in an unbroken line of tradition to Republican times.* Similiter pag. 150, alibi.

Habemus igitur tres scribendi rationes, quibus syllabae *-um est* enuntiationem reddere Romani conabantur: *-ust*, *-unst*, *-umst*. Iam reminiscimur nomen Decembris tum *December* tum *Decenber* (e. gr. CIL II 4587; V 1648; de Rossi 107), tum *Decebris* (CIL I 855; X 7168) scriptum esse et similiter praeter *pientissimus* scripturas *piemtisimo* (CIL II 2632) et *pietisimo* (CIL V 4515; IX 4267) inveniri, propter *semper* et *senper* (CIL V 2781; IX 5960) et *seper* (CIL X 7173) extare. Nolo omnia eius generis, quae sunt in inscriptionibus, exempla repetere, cum ab Aemilio Seelmann libri, qui est de linguae latinae enuntiatione, pagg. 276—286 composita sint. Suo autem iure viri docti fere omnes, qui de hac re egerunt, inde quod in inscriptionibus, cum altera consonans sequeretur, saepe *M* pro *N* et contra *N* pro *M* scriptum est*), has consonantes ante alteram consonantem positas paene eodem modo enuntiatas esse effecerunt. Atque cum saepissime eveniat, ut eaedem M et N consonantes altera consonante insequente omnino non scriptae sint,**) hac condicione eas imminutas et obscuratas esse idem viri docti viderunt. Porro notissimum est consonantem *n* imprimis ante *s* obscuratam esse, ita ut in *cosol*, unde *cos.* nota in usum

---

*) In primo CIL volumine *M* pro *N* scripta est: *comductum* 200, $_{25}$; *damdum* 206, $_{17}$; *damdam* 206, $_{49}$; *faciumdei* 206, $_{58}$; *im fronte* 1104; *im privatum* 200, $_{27}$; *sanguem*: ad Mart. 24 (=fasti Philocali p. 338); *quamta* 206, $_{37\ 43\ 48}$; *quamtum* 206, $_{38}$; *sentemtiam* 206, $_{125\ 127\ 129\ 131}$; *tamtae* 206, $_{38\ 40}$, *tamtam* 206, $_{43}$; *tuemdam* 206, $_{31\ 33\ 40\ 46\ 47}$; *tuemdarum* 206, $_{28}$. *N* pro *M* legitur: *indenque* 1341; *quansei* 200, $_{27}$; *quonque* 201, $_{9}$; *tantundem* 200, $_{58\ 65\ 69\ 91}$; 202, $_{2\ 33}$.

**) In CIL I *M* omissa est: *Decebris* 930; *Noubris* 855; *Sepronius* 956, 958; *Tapios* 151; *Tapia* 151. *N* omissa: *Ateleta* 1501; *atresis (= atriensis)*: fast Ant. 198, $_{21}$; *attigat* 198, $_{10}$; *attigeret* 198, $_{21}$; *cesor* 31; *cesores* 613; 1161; 1162; 1264; *Clemes* 747, *dedrot* 173; *Langueses* 199, $_{40}$; *Maluginesis*: a. 295; 304; *mesor* 1109; *Oruculeius* 927; *Pisaurese* 173; *Quictilis* 841; *Secudo*: fast. Ant. 2, $_{96}$; *Thermesum* 204, $_{2\ 7\ 11}$; *Thermesium* 204, $_{1\ 2}$; *Veicetinos* 549.

transiit, *cesor* similibusque *N* saepe non scriberetur (CIL I, 31; 41; 613; 1161; 1162; 1264), in aliis e. g. *vicies centies formosus Megalesia* sim. *n* postremo neque scriberetur neque omnino exprimeretur. Quin de Cicerone ipso narrat Velius Longus (Gr. L. VII 78—79 K.): *sequenda est vero nonnumquam elegantia eruditorum virorum, qui quasdam litteras lenitatis causa omiserunt, sicut Cicero, qui 'foresia' et 'Megalesia' et 'hortesia' sine 'n' littera libenter dicebat.* Iam vero vides quo tendam; nam littera *n* etiam ante *-st-* obscurata atque, ubi vocalis has consonantes *-st-* insequebatur, adeo plane eiecta est: est enim *monstrum* — *mostellum*; sed non semel etiam ipsum *mostrum mostrare* sim. et in lapidibus et in libris manuscriptis inveniuntur: e. gr. CIL IV 1928 *mostrat*; Poen. 602 *commostraremus* A (*-monstr-* P); Poen. 1043 *commostra* A (*-monstr-* P); Trin. 342 *praemostro* B (*-monstr-* ACD); Trin. 920 *mostrare* C (*monstr-* BD; A n. l.); Verg. Georg. I $_{19}$ *mostrator* M $_{1}$; Catulli c. LV, $_{2}$: *demostres* cod. D(atanus), quem librum Ellis (ed. proleg. XXXVII) in rebus orthographicis summa fide esse affirmat. Quibus scripturis *n* litteram in *monstrare* imminutam esse certissime docemur; contra *n* in *monstrum monstrare* non prorsus intercidisse comprobatur verbo Francogallico *montrer*. Eadem ratione, qua ex *monestrum* — *monstrum mostrum* (i. e. *mo*ⁿ*strum*), ex *fenestra* — *fenstra festra* (i. e. *fe*ⁿ*stra*) ortum est, *quo verbo etiam Ennius usus est*, ut dicit Macrobius sat. III 12,8. Et Paulus Diaconus in excerptis ex Pompei Festi libro, qui erat de significatione verborum, haec servavit (pag. 91 ed. O. Mueller): *Festram antiqui dicebant quam nos fenestram.* Ad quam formam C. F. W. Mueller libri, qui inscribitur Plautinische Prosodie, p. 239 bene adnotat: *Schrieb man wirklich einmal fenstra oder festra, so scheint mir doch daraus, dass man zu fenestra zurückkehrte, zu folgen, dass jene Schreibweise auch für ihre Zeit nur als unvollkommener Ausdruck der Aussprache, die man wieder-*

geben wollte, anzusehen ist. Prorsus eadem de *factust* et *factunst* dici possunt. Ter etiam apud Plautum *fenestra* trochaeum explet Casin. 132; Mil. 379; Rud. 88: sed utrum altera syllaba syllabae brevis breviantis, quae dicitur, vi correpta et *fenestra* dicendum an alterius syllabae vocalis suppressa et *fe(n)stra* efferendum sit, non constat. Etiam in fine vocabulorum litterae *-n* et *-m* eodem modo, quo in mediis verbis, obscurabantur, si vox, quae sequebatur, a consonante initium capiebat. Itaque invenimus: CIL II 70 *cun filia;* V 1705 *quen feci;* ib. 6547 *quen vice;* 4754 *quan floridos:* 4410 *tan parent tan ros* (?) et similia; *forsitam* pro *forsitan* saepe scriptum est (v. O. Ribbeck in Ritscheli opusc. II 570);*) CIL I p. 338, $_{24}$: *sanguem dies* (a. 354 p. Chr.); ad quam formam Mauritius Haupt confert: *inguem cognosco,* quod in codice Frontonis, ep. ad Marc. Caes. V $_{34}$, extat.**)

Hucusque omnes, quantum video, viri docti consentiunt. Itaque cum *factumst* vel *factunst* vel *factust* eadem ratione enuntiandum esse appareat, qua *semper* vel *senper* vel *seper, piemtissimus — pientissimus — pietissimus, monstrum — mostrum* similiaque, equidem in *factum*˜*est* quoque *m* consonantem neque clare expressam neque vero prorsus eiectam esse, immo imminutam et obscuratam esse dico.

Maxima autem est dissensio inter viros doctos, si quaerimus, quonam modo litterae nasales *n* et *m,* si obscurabantur, sint enuntiatae. Primus enim Hugo Schuchardt libri, qui inscribitur der Vokalismus des Vulgärlateins, vol. I pagg. 110—112, deinde Johannes Schmidt libri, qui inscribitur Zur Geschichte des indogermanischen

---

*) Quin altera formae *forsam* syllaba in Senecae Herc. Oet. v. 574 synaloephae vi elisa esse videtur: cf. Aem. Ackermann, De Senecae Hercule Oetaeo (Marp. 1905) pag. 31.

**) Naber, novissimus Frontonis editor, hanc lectionem non enotavit.

Vocalismus, vol. I. p. 98 sqq. suspicati et demonstrare conati sunt has nasales consonantes obscuratas, quae tam in lingua graeca quam latina inveniuntur, eandem indolem habuisse atque nasales, quales in lingua Francogallica efferuntur. Itaque vocalem ipsam cum littera *n* vel *m* insequenti, si altera etiam consonans succedebat, in vocalem unicam per nares expressam transisse dixerunt. Quam sententiam refutans Aemilius Seelmann l. l. pagg. 268—292 *n* et *m* litteras imminutas, quas hac nota *n* significavit, nihil aliud esse demonstrare suscepit nisi, ut ipsius verbis utar, *reduziertes n mit gleichzeitigem losem Lippenverschluss* vel *reduziertes m mit gleichzeitigem losem dentalen n-Verschluss* (p. 271/272.), et pariter eas enuntiatas et enuntiandas esse atque consonantem illam, *den man speziell in der Provinz Sachsen und vielfach anderwärts in Norddeutschland regelrecht da spricht, wo einem orthographischen n ein bilabial (m bp) folgt, also in Worten wie anmachen . . ., anbeginn . . ., unparteiisch . . . und tausend anderen.* Atque haec Seelmanni disceptatio non modo a nullo, ni fallor, viro docto refutata est, sed omnes fere, nisi ipsam eius interpretationem receperunt, concedunt tamen Schuchardti Schmidtique sententiam esse dissolutam: e. gr. G. Meyer, Grammaticae Graecae [3] pag 381 sq.: *Ein,* inquit *vor einem Konsonanten stehender Nasal hat in den historischen Perioden des Altgriechischen einen reduzierten Klang gehabt, der mitunter sein gänzliches Schwinden zur Folge hatte . . . dass hier, wie I. Schmidt Voc. I 116 annimmt, Nasalvokale gesprochen worden seien, ist nicht zu erweisen.* Haud aliter Robertus de Planta (Gramm. der oskisch-umbrischen Inschr. I p. 310 adnot. 3): *Gegen die Annahme von eigentlichen Nasalvokalen wohl mit Recht Seelmann,* et F. Stolz (Historische Gramm. der lat. Sprache p. 244): *Die Annahme von eigentlichen Nasalvokalen für das Lateinische ist abzuweisen, vgl. Seelmann Ausspr. 289 ff.* Quin etiam Lindsaius Seelmanni

sententiam plane secutus est (Lat. lang. pag. 60 sq.). Unus Carolus Brugmann (Grundr. [2] I 371—372) *) in *-ns-* quidem et *-nf-* litterarum compositione *n* ita obscuratam esse vult, ut longa vocalis per nares expressa orta sit.

Sane concedendum est argumentis, quae Joh. Schmidt l. l. exposuit et Aem. Seelmann pag. 289 breviter comprehendit, id quidem effici litteras *n* et *m* obscuratas esse, minime vero hac ratione rei naturam definiri. Quodsi Seelmanni rationibus nihilominus obsistere audeo, commotus sum partim ea re, quod ipsa viri doctissimi argumenta non necessaria esse mihi videntur, partim eo, quod nonnulla, quae de orthographia codicum Plautinorum observavimus, quae quidem ex enuntiationis consuetudine apud librarios ipsos tum recepta fluxisse apparet, cum Seelmanni interpretatione non conveniunt, sed alium ad finem nos ducunt.

Summi momenti fuerunt Seelmanno Mari Victorini grammatici verba, quibus prohiberi nos putat, quominus *n* et *m* ante consonantem positas in nasalem quandam vocem, quae cum vocali antecedente coniuncta sit, transiisse credamus, qualis verbi gratia in *chanter* voce Francogallica auditur. Legimus enim (Gr. L. VI, 16, 4 K): *Has voces, nonnunquam nunquam nunquid quanquam unquam, saepe recte scriptas relinquitis; aliquando n in m commutatis, numquam, pro n facitis m. quid igitur in posterum debeatis observare, attendite. clari in studiis viri, qui aliquid de orthographia scripserunt, omnes fere aiunt inter m et n litteras mediam vocem, quae non abhorreat ab utraque littera, sed neutram proprie exprimat, tam nobis deesse quam Graecis. nam cum illi Sambyx scribant, nec m expri-*

*) p. 371: „Es entstand [bei Vokal + ns] langer nasalierter Vocal, woraus schliesslich . . . reine Vocallänge" — p. 472: „Wie der Nasal der Lautgruppe -ns- so erfuhr auch der der Lautgruppe -nf- eine Reduktion mit Quantitätssteigerung des vorausgehenden Vocals . . . doch ging der Nasal hier nicht, wie dort, verloren".

mere nec n. sed haec ambiguitas in his fortasse voculis sit, ut in Ampelo, Lycambe. nam in nostris supra dictis non est, quia non inter m et n medium sonant unquam et nonnunquam et similia, sed inter n et g. nam et Graeci, cum scribant ἄγγελος ἄγγος ὄγκος *et similia, si syllabam an sequatur syllaba, quae initium habet a g aut* **c**, *convertunt n litteram in g et pro n g scribunt, ut* ἄγγελος ἄγκυρα ἄγκιστρα, *cum inter n et g medium sonet vocis † productae, non ut aliis videtur, inter m et n.*

Itaque Marius Victorinus hic differentiam statuit inter vocem quandam, quae sonet inter *m* et *n*: e. gr. ante consonantes, quas labiales grammatici dicunt, et vocem illam, quae sonet inter *n* et *g*: ante *qu* et ceteras gutturales, quae dicuntur. Sed id sententiae illorum repugnare, qui *n* et *m* cum vocali antecedente in vocalem unam per nares expressam confusas esse contendant, non recte Seelmannus dixit. Nam quamquam consonans proxima ad ipsius vocalis nasalis, si hoc verbo uti licet, enuntiationem nihil valet, quippe quae eadem sit si *t* vel *p* ac si *c*, *qu* insecuntur, tamen consonantem nasalem prorsus suppressam esse non est necesse. Scilicet post vocalem nasalem simul etiam ipsa consonans nasalis exprimi potest, id quod dialecto Suevica illustratur, ad quam mox accuratius redibimus. Nam admirabilis similitudo hac in re esse videtur inter hanc dialectum et linguam latinam. Consonans igitur nasalis, quae vocalem per nares expressam insequitur, non minus quam ceterae nasales consonanti proximae accommodatur. Itaque si in lingua latina consonans nasalis, quamquam vocalis antecedens per nares exprimebatur, servata est, haec consonans aliter in *Decẽmber* aliter in *cẽnseo, commẽndo*, aliter in *nũnquam* enuntiari debebat, cum fieri non posset, quin ubique consonanti proximae assimularetur. Quae cum ita sint, Marius Victorinus, etiamsi Romani vocales nasales efferebant, consonantem nasalem, qualis labiali insequente exprime-

batur, distinguere potuit ab illa, quae ante gutturalem consonantem posita audiebatur. Neque has, quas ponimus, vocales nasales linguae latinae accurate illis Polonicae linguae respondisse cogimur credere, quas Johannes Storm libri, qui inscribitur *Englische Philologie*, iterum editi pag. 59 his verbis definit: *Die polnischen Nasalvokale e a nehmen vor d, t einen mehr dentalen, vor b, p einen* ‘ ‘ *mehr labialen Charakter an, so dass ein unvollkommenes n oder m mit dem Vokal verschmilzt, indem bei Zähnen und Lippen eine ähnliche lose Annäherung stattfindet, wie sonst beim weichen Gaumen.*

Iam vero ipsius Victorini verbis id docemur nonnullos grammaticos litteras *n* et *m*, si a littera *qu* excipiebantur, ab iisdem ante alias consonantes positis non distinxisse. Legimus enim: . . *cum inter n et g media sonet vocis pronuntiatio* (corr. Schmitz mus. rhen. XIV (1859) p. 640), *non, ut aliis videtur, inter m et n.* Certissime igitur sequitur has illis similes fuisse, id quod nemini dicere licet, qui sententiam, quam Seelmannus exposuit, comprobat. Similitudo autem quaedam consonantibus *n* et *m* oriebatur, si vocalem cum nasali coniunctam in vocalem nasalem cum nasali consonante attenuata transiisse demonstrare poterimus. Nam soni nasalis, qui aderat vocali, natura omnibus vocalibus eadem erat, differebant inter se nulla alia re nisi indole consonantis nasalis, quae inter vocalem nasalem et consonantem proximam intercedebat. Qua re intellegimus et quo modo *grammatici nonnulli* nasales illas una notione complecti et quo modo Marius Victorinus has ab illis seiungere potuerint; nam alteri id, quod commune eis erat, maxime spectabant, alteri, velut Marius Victorinus, diffeientiam, quae tamen inter eas erat, minime neglegendam esse iudicabant.

Porro Seelmannus dicit: *Für die allgemeine umgangssprache der mittleren römischen kaiserzeit lässt sich die norm aufstellen: inlautendes n verharrt nur vor MBPV (u̯)*

und dentilabialem F! Ne hanc quidem sententiam recto pede stare mox videbimus. Liberae enim rei publicae temporibus *n* et *m* ante *c, g, t, d* imprimis ante *s* non minus quam ante *b, p, v* obscuratas esse exemplis ex CIL I supra allatis conspici potest. Sed idem etiam postea valuisse ex lapidibus recentioribus cognoscimus.

Creberrima sunt exempla litterae *n* ante *d, t, s* omissae, ex quibus pauca afferam, quae quo tempore sint scripta, constat:

CIL I $_{31}$ (a. u. c. 496): *cesor cosol;* ibid. 199 $_{10}$ (a. u. c. 637): *Langueses;* CIL VI 2120 (a. 155 p. Chr. n.: *eudem*; Orelli*) 4360 (386 p. Chr.): *quado*; CIL VIII 9977 (398 p. Chr.): *istituerut*(sic); ibid. 9982 (416 p. Chr.): *istituerut*(sic); CIL V 6403 (552 p. Chr.): *sposus.* Plura invenies apud Seelmannum (pag. 283 sq.).

Neque in Plautinis libris manuscriptis similia desunt; haec enotavi:

A: Poen. 602 *commostraremus;* ib. 1043 *commostra;* Casin. 721 *scidunt* (pro *scindunt*).

P: Asin. 433 *resolvit* (pro *rem solvit*); Bacch. 159: *compedium* (B[1]CD); 792 *trasenna (transenna:* Nonius); 798 *coticiscam;* Capt. 266 *bitostrina* (pro *in tostrina,* corr. B[2]); Men. 894 *commostras;* 919 *auditu* (pro *audin tu)* B[1]CD[1]; Mil. 1418 *amitte dum* (pro *amittendum* A); Poen. 1226 *adpredam*; Pseud. 313 *nunc clametare* (pro *nunc lamentare);* Rud. 1239: *in transenna] intra senna* B, *intrasenna* CD; Truc. 649 *-taretinas-* (pro *Tarentinas).*

in uno alterove Palatino: Amph. 149 *laterna* B; ibid. 406 *laterna* BED[2]; Asin. 702 *inscende (n* prior inserta) E; Aul. 12 *commostraret* E; Bacch. 1035 *cesses* D

---

*) In CIL III non inveni.

*ce*ses* B¹*); Capt. 950 *tydarum* B; Cas. 341 *istar* (pro *instat*) E; 381 *cesses* VE (*censes* in ras. B); Capt. 483 *mestrualis* VE; Cist. 664 *crepudia* VE; ib. 635 *repudia* (pro *crepundia* E); Curc. 404: *commostrare* E; 467 *commonstrabo* (*n* ex *s*) B, *commostrabo* EI; Men. 76 *medicos* B¹; 204 *medicitatem* B²; 367 *pradium* B; 860: *adcura dum si* (pro *adcurandumst*) B; Merc. 82: *amasque* (pro *amansque*) B; Mil. 472 *qui soror* B²CD (pro *quin soror* A); 605 *cotringunt* D; 693 *praecantrici*] *preccatrici* B ante ras., *precatrici* B ex ras., *precat atrici* CD; 779 *metier* (pro *mentirier*) CD; Most. 99: *argumeta* C¹; 272 *ce///ses* ex *cesses* D¹; Pers. 134 *vedere* B; 136 *vedat* B; 146 *vedas* B; Pers. 150 *ude* B; Pseud. 539 *conseserunt* B; Stich. 39 *sapietis* D (pro *sapientis*); Trin. 342 *praemostro* B; Trin. 713 *ceseo*; 920 *mostrare* C; 1148 *commetust* C; Truc. 315 *ceseam* B.

Accedunt loci, quibus *s* pro *ns* in fine verborum scriptum est: e. gr. Amph. 977 *praeses* P; A n. l. Aul. 318 *eiulans* (*n* s. v.) B; Mil. 201 *curas cogitas* P; 268 *odoras* B¹; 272 *dormies* B¹; 1129 *obedies* B (A n. l.; *oboediens* CD); Most. arg. 6: *postulas* D. Trin. 545 *campas genus* BCD, *campans genus* Nonius, *campanes* vel *campanis* A ut vid.

Nec minus etiam ante *c*, *g*, *qu* litterae *n* et *m* obscuratae sunt, praeterquam quod consonantis proximae vi affectae in *ŋ* transierunt, sicut audimus in nostris *ankommen*, *Angst*. Atque inscriptiones quidem tam liberae rei publicae quam Caesarum temporibus *n* omiserunt: e. gr.

---

*) In B¹ quoque *-ss-* scriptum fuit, *-ns-* restituere voluit corrector: cf. Capt. 109: *saturitate*] *suturitate* V, *s*turitate* B¹; ib. 199: *vostris*] *nostris* D, **ostris* B; Cas. 381 *cesses* VE, *censes* in ras. B.

CIL I $198_{,,10}$ (a. u. c. 631/2) *atiigat;* ibid. v. 21 *attigeret;* Orelli-Henzen 6431 (a. 362 p. Chr.): *iquirat**); de Rossi 824 (a. 468 p. Chr.) *huc;* plura Seelmannus l. c. composuit (pag. 285). Quibuscum congruunt libri Plautini; legimus enim:
in AP: Poen. 1309 *ligula* (pro *lingula; legula* B);
in A: Pseud. 157 *igere* (pro *ingere);*
in P: Asin. 910 *pollinctorem*] Nonius, *pollictorem; Bacch.* 701 *emugam* (A n. l.); Poen. 63 *pollinctor*] *pollector;*
in uno alterove Palatino:

Amph. 410 *quinque*] *queque* E; Aul. 78 *obstrixero* BE; 109 *reliquo* E; Bacch. 1183 *quadrigentis* C; Bacch. 934: *quadringentis]* B *quadragentis* CD; Capt. 35: *confinxerunt*] *confixerunt* DV; ib. 47 V; 593: *i^{n}lluc* B; 608: *vinciatur*] *vitiatur* V, E ex corr.: 648 *cincinnatur*] *cicinnatur* E; Cas. 929 *conpu^{n}git* B; Epid. 339: *pollinctumst*] *pollitum est* B; 686 *macipium* B; A n. l.; Men. 327 *lo^{n}gius* B²C; 1111 *lo^{n}gissime* D; Merc. 66 *quinto*] *quicto* B ante corr.; Mil. 171 *nu^{n}c* B; Mil. 362 *cocubinast* D; Most. 218: *In anginem*] *I^{n}naginem* B; 859 *quo m. culpa* B; 1109: *emunxti*] *emu^{n}xit* C; Poen. 55 *nu^{n}c* C; Pseud. 2 *lo^{n}ga* C; 557 *nu^{n}c iam* C 854 *u^{n}gulis* D; 888 *no^{n}credis* D; Stich. 541 *nu^{n}c* D; Stich. 744 *nuc* B; 881 *si^{n}gillatim* B; Truc. 720 *nu^{n}c* C; Truc. 824: *ut hunc*] *ad hu^{n}c* C; 853: *cor pungit*] c. *pugit* B, *Cor pu|||git* (*n* et expuncta et erasa; *corp^{u}git* C. *er.*) D.

Tales scripturae etiam in aliis codicibus vetustissimis occurrunt; exempli gratia nonnullas ex saeculi V. codice Veronensi rescripto, qui Gai Institutiones continet, excerptas affero:

---

*) Hanc inscriptionem in CIL VI me reperturum esse spem amisi. cf. Trin. 560 *hoc hunc senem* (pro *hunc senem).*

n omissa est ante *d*, *t*, *s*: lib. I § 75 *emedatur;* 114: *coeptionem* (-coempt.); 153 *tatum;* II, 280: *sinedi* (*-sinendi*); III 82 *consensu*] *concessu;* 90 *constant*] *consta;* 133 *transscripticiis*] *tresscript.*

n vel *m* omissa est ante *c*, *g*, *qu*: I 78 *peregrinumque*] *peregrinoque* vel *-uque* cod.; 85 *accilla*, mox *acilla;* II 205 *coniuctis;* 215 *disiuctim;* III 42 *reliquat.*

Omnibus his locis, quibus facile alii adici possunt, consideratis etiam Caesarum temporibus ante *d*, *t*, *s*, *c*, *g*, *qu* non minus quam ante *m*, *b*, *p*, *v*, *f* consonantes nasales, quae dicuntur, obscuratas esse pro certo discimus. Neque id est neglegendum quod vocalem, quae est in verbis *quinque sanctus iunctus* sim., productam esse I longa et apicibus adhibitis lapides ostendunt (v. Seelmannum p. 90), sicut vocales ante *-ns-* et *-nf-* positas productas esse Ciceronis aliorumque verbis constat (Cic. or. LVIII 159; Prob. IV $245,_{18}$ K; $247,_{9}$ K.; Pompeius V $113,_{28}$ K.). Quo modo Seelmannus hanc productionem interpretabitur, cum vocales verborum, quae ex lingua nostra affert quibusque latina similia fuisse contendit, brevissime exprimantur: *ănmachen*, *ŭnparteiisch*, *ănbeginn?* Atque si iure interpretationem, quo sit simplicior, eo fieri verisimiliorem et contra dicimus, Seelmanni sententia eo minus probatur, qui sine ratione necessaria *n* et *m* ante dentales et gutturales consonantes positas seiungat ab *n* et *m* labialibus litteris exceptis. Nam quamquam nasales, et cum *d*, *t*, *s* vel *c*, *g*, *qu* insequerentur, et cum a *b*, *p*, *v*, *f* litteris exciperentur, initio pari modo *n* expressas esse concedit, postea eas diversas fuisse dicit nisus ea re, quod *m* et *n* litterae ante *b*, *p*, *v*, *f* saepe inter se commutatae sunt, raro ante *d t s*, *c g qu*. Tamen non priscis solum temporibus, sed etiam postea *m* pro *n* ante *d*, *t*, *s* nonnumquam scriptam legimus. Inscriptioni, quae legem Iuliam Municipalem continet (a. 709 a u. c.), quae saepe *-mt-*, *-md-* pro *-nt-*, *-nd-* (*tuemdam damdam*

faciumdi sentemtiam quamta tamtae) praebet, respondent: CIL VI 381 *comsumptum*; ib. II 2632: *piemtissimo*; III p. 862,$_{8}$ (edict. Dioclet.) *dissimulamdi*; V 2781,$_{18}$ *sentemtiam* (Seelm. p. 276) *); *mc* pro *nc* invenitur CIL X 4321 *avomculum*; Gai Institut. lib II 51 *namcisci*; lib. IV 167 *namcisci* in codice Veronensi; *cumctarum* et *quincumque* (pro *quincunce*) lectiones ex codicibus veteribus contulit Schuchardtius l. c. pag. 109 et idem Aen. III 343 in Palatino *AVOMCVLVS* (exp. M et supraser. N) scriptum esse observavit.

Quae codicum vetustissimorum lectiones non minoris aestimandae sunt, quam si in eiusdem aetatis inscriptionibus legerentur. Nam libros manuscriptos ad enuntiationem linguae latinae eruendam non minori utilitati esse quam lapides ex codicum lectionibus supra collatis satis intellegitur. Id tantum eis incommodo est, quod plerumque solum certum temporis terminum, ante quem codicum scripturae ortae sint, ante libri scilicet manuscripti, in quo quaeque invenitur, aetatem, definire possumus, cum utrum eae ab eiusdem codicis librario primum inductae an multo antiquiores, aut adeo a scriptore ipso adhibitae sint, non semper constet. Tamen scripturas tam raras, quales sunt *namcisci cumctarum quincumque tamgentium umguentum* per multa librorum genera traditas neque litteras iustas restitutas esse veri simile non est.

Quodsi *n* et *m* litteras ante dentales vel gutturales positas, pariter ac si labialis insequeretur, antiquiore aetate *n* enuntiatas esse statuere licet, non est cur postea aliter eas expressas esse dicamus.

Sed restat unum genus leetionum, quibus summam fuisse similitudinem certissime demonstratur inter *n* litteram ante secundam quamlibet consonantem positam et

---

*) alia exempla et ex lapidibus et ex codicibus contulit Schuchardtius l. c. vol. I p. 108—109: imprimis Rossi I 288: *abumdantius* (a. 380 p. Chr. n.).

n illam, quae ante gutturales expressa sit. Vide has inscriptionum lectiones: *nantus* CIL III 1635,$_{14}$; *santo* ib. VI 736 (a. 391 p. Chr.) et alibi; *cunti* X 5906 et alibi; *defuntus* VII 126, saepius. — *conctione* CIL I 198 (a. u. c. 631/2); *regnancte* IX 411 (a. 530 p. Chr.); *chrysanctus* VI 12052.

Quae bis codicum Plautinorum scripturis firmantur:

nc pro *n* scriptum est: Trin. 524 *quincto* A, cf. Merc. 66: *quicto* B ante corr.; Merc. 647 *zacingthum* (=*zacynthum*) CD (*zagcintum* B); 940 *zacincto* D; 945 *zacinctiust* ex *zacinctust* D (*zacyntiust* C, *zacyntu st* B); Merc. 670 *non video*] *non* (c suprascr.) *video* D; Pers. 587 *vin tu*] *vinctu* CD[1] *vine tu* B; Rud. 709: *tun legirupionem*] *tunc leg.* P; A n. l.; Truc. 924: *vin te*] *vincte* BC (*iuncte* D).

n pro *nc* scriptum est: Curc. 220 *cintus* VE; Mil. 1181: *precintus* B; Pers. 754 *extinto* D[1] (*c* suprascr. D[2]); Amph. 177: *nunc potuit*] *nun p.* in lit. D; 360 *hin* (c suprascr.) *abis* E; 743 *hin hodie* BE; Asin. 939 *hin* E; Bacch. 399 *nun certamen* (=*nunc c.*) P; A n. l.; Epid. 684 *nuncessas* (=*nunc c.*) A; Most. 793: *nunc — vise*] *nun vis* A; 1036: *nun te* (=*nunc te*) B[1]CD; A n. l.; Pers. 469 *nun agite* (=*nunc ag.*) CD; Rud. 698 *han tua* B.

Huc pertinet etiam, quod *non* et *nunc* et *num* toties inter se commutata sunt: Amph. 709 *num tibi* (=*nunc t.*) P; A n. l.; Asin. 249 *non te* (=*nunc te*) P; A n. l.; Asin. 558: *nunc possis* (=*non p.*) P; A n. l.; Cas. 424 *non me* (=*nunc me* B) E; Merc. 899 *nunc curo* (=*non curo*) B; Most. 722 *quid numquam mox* (=*quid nunc? q. m.*) A; Poen. 352 *nunc te* (=*non te*) AP; Stich. 163 *nunc pauxillulum* (=*non p.*) A; Trin. 351: *nunc non habes* (=*non habes*) P.

Cum igitur et *nc* pro *n* et *n* pro *nc* satis saepe scriptum esse videamus, litteras *n*, altera scilicet consonante insequente, et *nc* paene pari modo expressas esse

concludere possumus, quin etiam debemus, eadem ratione, qua ex *m* litterae cum *n* et *n* cum *m* commutatione parem fere earum enuntiationem viri docti effecerunt. Quae autem alia sit haec enuntiatio nisi vocalis proxima per nares expressa, eundem vel similem in modum, quo Francogalli vel Suebi et Alemanni vocalem et nasalem ab altera consonante exceptas efferre solent, non video.*) Quod ne credamus, Seelmanni rationibus, quae supersunt, ex labrorum linguaeque Romanorum natura repetitis minime prohibemur. Quam enim infirma in lingua, ut ita dicam, mortua talia sint, G. Meyer optime exposuit in annalium qui inscribuntur *Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien,* anno 1885 editorum pag. 273, ubi de illius viri docti libro iudicium et censuram fecit.

Ceterum cum illis locis, quibus *nc* pro *n* scriptum esse vidimus, fortasse haec quoque lectio coniungenda est: *patientis sum munc sim* quae Trin. 542 in B extat pro *patientissumum est* (sic A), cum *-un sim* in CD scriptum legamus. Quae codicis Veteris lectio ex *patientissumuncst* orta esse videtur, cum *-st* saepius in *sim* corruptum sit, ut Trin. 445 in CD. Huic loco eiusdem codicis B lectionem adiungo: *equnct* (num ex *equncst* orta est?),**) quae pro *aequom èst* Trin. 830 invenitur. Quas si recte interpretatus sum, „factũst“ pro „factum^est“ nasali consonante obscurata vel potius vocali per nares expressa enuntiatum esse, id quod supra ostendere sum conatus, et ipsae docent.

---

*) Quae sententia ea quoque re firmatur, quod Joh. Stormius l. l. p. 60 docet in libris Francogallicis medio aevo scriptis „ung“ „bong“ „ving“ sim. satis saepe extare, cum vera enuntiatio huic scripturae similis, haudquaquam par fuerit.

**) cf. Trin. 324: *que dant* pro *quaedam^est* in P; Most. 316 *tesunt* pro *taesum^est* in P; Truc. 6 7 *lubitunt* pro *lubitum^est* in B (*-unst* CD); his quoque locis *s* littera intercidit.

Sed magnam, quae sit in hac re inter Suevicam Alemannicamque dialectos et linguam latinam, similitudinem commemoravi. Quae profecto tanta est, ut ad illas dialectos linguae latinae condicio aliquatenus definiri et haec illis illustrari posse videatur. Et in dialecto quidem Suevica (et Alemannica scil.) consonans nasalis aut servata est, vocali quidem antecedente et ipsa per nares expressa, aut evanuit, ita ut nihil nisi mutata vocalis proximae enuntiatio relinqueretur. Atque hac condicione vocalis, quae antecedebat, producta, illa non producta est: e. gr. *Krāk*, sed *ãŋke* (=nudus, nackend); *pfāt*, sed *pfẽntle* (=kleines Pfand).*) Audaciusne est, si differentiam, quae erat e. gr. inter *cōnsuevit īnfelix* et *cŏncrepuit ĭndoctus* (Cic. or. LVIII § 159) eadem ratione illuc referimus, quod ante *s* et *f* consonans nasalis magis quam ante ceteras consonantes obscurata sit? Adiuvatur talis sententia ea re, quod ante ipsam *s* litteram nasalem postremo plane evanuisse constat: vide *vicies* et *formosus* et *Megalesia* et alia. Neque raro in dialecto Suevica nasalem, cum altera consonans insequeretur, prorsus intercidisse observavit Carolus Weinhold libri, qui inscribitur *Alemannische Grammatik*, pag. 169. Contra lingua latina, nec minus graeca, litteram *n* adulterinam in haud ita pauca nomina induxit: verbi gratia *thensaurus*, de cuius vocis casibus effuse egit Guilelmus Schulze opusculo, quod *Orthographica* inscripsit (Marpurgi Catt. 1894), et *occansio* (Append. Probi. IV $198_{,21}$ K.) affero, ut alia omittam. Haud aliter in Suevorum dialecto *am meinsten unkunsch* (=*impudicus*) *heimant* (=*patria*) *sünfzen* (=*gemere*) similiaque scripta inveniuntur.**) Quin etiam si ipsam

*) v. Fr. Kauffmann, die schwäbische Mundart pag. 160.

**) v. Weinholdium l. l. § 201: *Der Ausstoss von stammhaftem n* [in der Schrift scil.], *der sich grossenteils nur als eine Nasalierung desselben ergibt, zum Teil aber auch zur wirklichen Aufhebung führt,*

veterum librorum Suevicorum orthographiam inquirimus, quem laborem idem Weinholdius ille summa cum diligentia suscepit, eadem fere, quae in lapidibus et vetustissimis codicibus latinis, nobis occurrunt. Scripta enim sunt: *niemat* (legendum *niemãt=nemo*), *chascht* (l. *chãšt=potes*), *Isbruck gieg geschwid mîs* (=*meum*), similia.*) Itaque tribus scribendi rationibus illis: *factust factunst factumst* quibus librarii *m* obscuratam exprimere conati sunt, tres scripturae formae *chũst* (ex *kumest* ortae = *kommst, venis*) optime respondent: *chust* — *chunst* — *chumst* (Weinhold. l. l. pg. 168).

Quae omnia ad eundem finem quo etiam Mari Victorini verba et codicum lapidumque scripturae nos ducunt, ita ut dubitare non possimus, quin l i n g u a e l a t i n a e n a s a l e s a n t e c o n s o n a n t e s i l l a e q u i d e m p o s i t a e p a r i v e l s i m i l l i m o m o d o, q u o S u e v i c a e e t A l e m a n n i c a e d i a l e c t o r u m n a s a l e s, a f f e c t a e s i n t.

Sed si ad lectionem *factum˜est* (legendum *factũst*) tandem redimus, a qua vereor ne longius aberrasse videar, memorandum est in dialecto Alemannica vocales *i* et *u*, quamquam per nares efferuntur, servatas esse,**) cum et in Francogallorum et in Suevorum linguis *i* in *e* vel similem sonum, *u* in *o* vel *oe* transierit. Neque igitur est, cur in lingua quoque latina *i* et *u* servatas et *factũst*

---

findet sein Gegengewicht in der Einschiebung von n, die wir als das unechte Aufsteigen eines nasalen Klanges bezeichnen müssen.

*) Ad quae Weinholdius pag. 168: *Die häufig in der Schrift angedeutete Neigung des alemannischen zum Ausstossen von inlautendem n beruht auf der Nasalierung desselben, welche noch heute der gesamten alemannischen Mundart eigen ist. Die Schreiber wussten diese Veränderung des n nicht zu bezeichnen und liessen es deshalb ganz aus.*

**) Par est enuntiatio in Gallia, quam Cisalpinam Romani appellaverunt (Storm. l. l. pag. 61).

enuntiatum esse dubitemus putare. Et proxime quidem ad *factūst* accedit forma illa *chūst*, quae ex *kumest* ita orta est, ut *factūst* ex *factum est*; nam etiam *factum est* quasi unum verbum Romanis erat.

Paucis denique ad scripturam *-ust* mihi redeundum est. Qua adhibita cum *-um est* et *-us est* iam litteris inter se distincta non essent, fieri non potuit, quin alterum *-ust* pro *-um^est* scriptum cum altero *-ust* pro *-us^est* posito saepe a librariis confunderetur. Itaque *-us est* pro *-um^est* scriptum legimus:

	in P	in uno alterove Palat.		in P	in uno alterove Palat.
Amph.	bis (BDE)	—	Poen.	—	semel (B *-us st* ante corr.)
Asin.	bis (BDE)	—			
Aul.	semel	—	Pers.	semel (*-us est*)	—
Casin.	—	semel (VE)			
Curc.	—	semel (E)	Pseud.	ter (1+2$^{\times}$)	ter (2B+1$^{\times}$C)
Bacch.	—	bis (CD)	Trin.	—	semel (CD *-us sim*)
Cist.	—	semel (V)			
Mil.	—	semel (B)	Summa:	7+2$^{\times}$	11+1$^{\times}$
Most.	—	semel (B)			

Codex quidem Ambrosianus hunc errorem evitavit, nisi quod Mil. 180 *pereundus et* pro *pereundum^est* in A scriptum est, ubi *et* pro *est* irrepsit, sicut Stich. 198 A; Merc. 39 P; Truc. 269 P.*)

Contra *-ust*, quod pro *-us^est* scriptum erat, perperam in *-um est* aut *-umst* distractum est:

*) In libris Terentianis *-us est* pro *-um^est* his locis inveni: Heaut. 668 G (=Decurtatus); 793 (*dat^st*) G; Phorm. 812 D (=Victorianus: *-ū ē* ex *-us ē*); Adelph. 575 F (=Ambros.).

	in AP	P	P	in uno alterove Palatino.
Asin.	—	—	1	—
Bacch.	—	—	—	1 (CD)
Cist.	—	—	—	1 (VE)
Curc.	—	—	—	1 (I)
Merc.	—	—	—	1 (B *-ũ st*; D)
Mil.	—	—	2	—
Most.	—	1	2	—
Pseud.	1 (*-mst* A; *-m est* P)	1	1×	—
Rud.	—	—	2	1 (BD)
Stich.	—	1	—	—
Trin.	—	1	2	2 (1 B; 1 D)
Truc.	—	1	1	—
Summa	1	5	10+1×	7

Item ex scriptura *-ust* falso distracta fluxit forma *-u est.**) Iam vero, qui respexerit illud *datuiri* (v. Archiv für Lexikographie II 349 sq.), statuere possit forsitan etiam *datu est honestu est* enuntiatum esse, quod tamen recte statui vix crediderim. Nam primum, siquidem vera sunt, quae de *factũst* exposui, iis iam *m* servatam esse efficitur. Praeterea vocales hic aliae sunt atque illic: in *datuiri* enim *u* genuina est, in *datum est* ex *o* orta; hic *e*, illic *i* insequitur. Atque profecto lectionem, quae legitur Pseud. 444, librariorum errato inductam esse apparet, cum *aequost* (=*aequom est* A) in altera codicum familia (P) in *equo est* distractum et corruptum sit. Tribus locis (Amph. 710 P et Nonius; A n. l.; Bacch. 130 CD; 161 CD) pro *in mentem est* invenimus *in mente est*, quia librarii nimirum ablativum casum, non accusativum popo-

*) cf. Ter. Phorm. 456 *inceptu*||*est* G, *inceptu est* BCEFP.

scerant. Accedit quod his quattuor locis, quos modo attuli, plerumque unus alterve liber, atque optimus quisque, errorem vitavit: Pseud. 444 A contra P; Bacch. 130 (scriptum est in B *mentest*, quod legas *mentẽst*) et 161 B contra CD (A n. l.). Restant: Capt. 323 BD; Cas. 344 B; Pseud. 114 BD; 501 B, ubi *-u st* scriptura obvia est. Sed ne talem scripturam ad enuntiationem spectare arbitremur metro iam prohibemur, quo his ipsis locis enuntiatio contracta postulatur. Simile est, quod etiam scriptura *-ust*, quae pro *-us est* usu venerat, nonnumquam in *-u est* prave distracta est; quae lectio ne ipsa quidem ullam conclusionem, quae ad enuntiationem vel originem formae „-ust" (=*us^est*) pertineat, admittit (v. infra).

Plautus ipse, ne hoc omittam, quin formas *factum est datum est* sim. trisyllabas omnino noverit, valde dubito. Duo enim, non plus, sunt exempla eius generis tradita (cf. Th. Birt, Hiat bei Plautus p. 306) atque eorum alterum satis certe emendatum: Pers. 221 *certumn'est*] *certum est* codd. (A n. l.); Pseud. 495 *peccátum'ést.* Etiam Capt. 700 *quísquam/ést*; Poen. 106 *urbem/est*; Truc. 773 *énim/es* vix ad ipsum Plautum redeunt.

De *-us* denique, quod pro *-ust* satis saepe scriptum invenimus, proximo capite pauca dicturus sum; extat enim: Aul. 237 (Nonius); Mil. 77 CD; 321 P; 378 P; 513 P; 672 CD; 749 P; 922 CD; 956 P; 1024 P; 1036 B; 1409 B; Most. 52 B; Truc. 851 P; cf. Mil. 523: *negotiis* B[1]CD, *negotiust* B[2].

III. De „est“ copulae post syllabam „-us“ positae aphaeresi.

Supra iam dixi de syllabae *-us* cum *est* contractione Leonem Quaestionum Plautinarum pag. 253 sqq. accuratissime egisse et eundem instituta quaestione, quae est, *-us est* utrum per *-u est* an per *-us st* in *-ust* transierit, eo pervenisse, ut *-u est* inter *-us est* et *-ust* ponendum esse diceret. Quem eventum primo obtutu mirabimur, cum idem vir doctissimus ita iudicet ut, cum *-m* littera copulae *est* antecesserit, *-m* servatam, *e* eiectam esse putet; quam sententiam priore capite ego quoque probare conatus sum. Recte quidem Leo eandem interpretationem huic atque illi rei postulandam esse negat, cum *-m* et *-s* finales natura fuerint diversae. Attamen merito miraremur, si *-s* finalis, quippe quae non tam facile elideretur quam *-m*, hac condicione evanuisset, cum tamen *-m* eiecta copulae sequentis vocali servata esset. Minus etiam probabilis esse sententia illa videtur propterea, quod *-s* litteram vocalis sequitur, ante quam omnino servari solebat.

Sed ipsam Leonis argumentationem perscrutemur. Materia enim examinata contractionem fieri non posse videt, nisi vocalis, qui *-s* litterae antecedat, brevis sit (pag. 254); praeterea nihilo magis formam *pietast* vel *pariest* quam *equest* vel *lapist* inveniri; perinde igitur ac vocali longa ea quoque re synaloepham prohiberi, si *-s* ex duabus litteris (*lapid -s* et sim.) orta sit (p. 256). Quibus ex rebus efficit Leo, ut ineptum sit putare post *-s* debilem copulae *est* vocalem eximi posse, post firmam et constantem non posse, neque alia via pateat, nisi ut non *e* exempta, sed elisa *-s* contractionem factam esse dicamus.

Res ipsas quidem recte Leo observavit, sed quaeritur, num earum interpretatio vera sit. Nam si omnia, quae ex Plauti fabulis conferri possunt, consideraverimus, breves

syllabas illas, quae cum *est* in unam syllabam coactae sunt, quadringenties sexies et illas cum *es* contractas centies quadragies in litteras *-us* excidere videbimus. Antecedere itaque ubique solet *u* brevis.

Ab his tot exemplis discrepant sex tantum loci, quibus Leo *-ist* (= *-is*‿*est*) vel *-est* (= *-es*‿*est*) legendum esse putet. Sunt hi: Aul. 421; Pseud. 954; Mil. 997; Merc. 672; Amph. 653; Curc. 407. Qui quidem suspecti sunt vel propter paucitatem. Atque si propius ad singulos accesserimus, nonnullos habere aliquid offensionis apparebit.

Aulul. 421: Congrio: *Pol etsi taceas, palam id quidem est res ipsa testis est.* Sic traditum est in P; A deest. Est unus ex versibus illis Reizianis, quibus Euclio avarus Congrionem cocum, quem ex domo sua exturbavit, sibi aliquid surripere voluisse contendit, ille pernegat. Omnes hi versus in ⊥ ⏓ exeunt, nisi quod versus 438 clausula est dissoluta ⏑́ ⏑ ⏑ (*fácitis*). Qua re prohibemur, ne in fine v. 421 *téstis est* i. e. – ⏑ – legamus, repugnat enim haec clausula versus Reiziani naturae (R. Klotz, Altrömische Metrik pag. 519). Ut versui mederentur, *testist* editores scripserunt et unus Leo de contracta scriptura se dubitare adnotavit. Neque profecto formam tam inauditam receperim, praesertim cum alia huius versus medela minus periculosa praebeatur. Saepius enim in libris Plautinis vox quaedam bis scripta est diversis versus eiusdem locis; ipsam *est* copulam bis scriptam esse videmus Cist. 34 in B^1: *[est] usquam est*; Pseud. 717: *allatust modo*] *aliatust modo est* B, *alienatust modo est* CD. Praeterea si Plautum in sententiis brevibus — sicut *factum. ita. salva res* — saepe copulam *est* omisisse reputamus, nihil obstat, quin legamus: *Pol etsi taceas palam id quidem: est res ipsa testis.* Quo in sententiarum conexu copulae ellipsis ea re etiam levatur, quod *est* sententiam *palam id quidem* statim excipit. Atque totus locus forma *est* quasi abundat:

Eucl. *Homo null u s t te scelestior qui vivat hodie*
Neque quos ego de industria amplius plus lubens faxim.

Congr. *Pol esti taceas palam id quidem : e s t res ipsa testis.*
Ita fustibus s u m mollior magis quam ollus cinaedus.
Sed quid tibi tactio s t, mendice homo? Eucl. *Quae res?*

Neque interpunctione (*quidem*: *est*) prohibetur synaloepha, nam similem in modum admissa est Curcul. 94: *Num múttit cárdo?˘est lépidus*; Bacch. 986: *Nósce sígnum.˘estne˘eíus?* *)

Neque Pseudoli v. 954 recte est traditus. Scripsit Ritschelius: Sim. *Illicinést?* Pseud. *Illic ípsus* (om. AP; add. Ritschl.) *est.* Sim. *Mala mércist* (BC, *mecist* D). Pseud. *Illuc sís vide.*

Leo edidit: *Illicinest?* — *Illic est.* — *Mala mercist* * * — Ps. *Illuc sis vide*, ea quae P tradidit.

Ex A haec erui potuerunt: *illicinest* ‡ *illic e[st* ‡ *malast] me* — *c sis vide.*
(rs illu)

Imprimis metrum laborat; septenarius enim trochaicus est postulandus; desideratur unus trochaeus. Leo lacunam relinquit; Ritschelius in medio versu *ipsus* addidit. Sed ne sententiarum quidem conexus omni offensione caret. Nam si cum Ritschelio aliisque editoribus tacimus, cum Ballionem lenonem ex aedibus suis quasi evomitum adspiciens Simia breviter dixerit *mala mercist*, quod non nisi ad totum illius habitum speciemque spectare potest, non bene post haec Pseudolus unum e corporis vitiis eligit et castigat: *Illuc sis vide*
Ut transversus non proversus cedit quasi cancer solet.

---

*) Similiter R. Klotz, l. c. pag. 521 de hoc versu iudicavit: *Ein Vers ist überhaupt nicht richtig überliefert: res ipsa testis est; hier sind wir genötigt, die überschüssige Silbe zu beseitigen und ziehen es vor Res ipsast testis zu stellen oder Est res ipsa testis als die sonst nicht zu belegende Form testist zu creiren.*

Novi enim aliquid a Pseudolo dictum iri expectamus, cum idem vel potius eiusdem opprobrii pars sequatur, quod modo audivimus. Quod vitium admissa F. Bothi coniectura evitatur, qui scripsit *Illicinest?* — *Illic.* — *Mala merx est, Pseudole: illuc sis vide.* Sic enim verbis *mala merx est,* quae Simia subito hominis turpissimi aspectu oppressus proclamavit, ad quam animi motionem etiam vocativus *Pseudole* referendus est, ratio adicitur iis, quae secuntur; id quod rei aptum est. Attamen ne Bothi quidem emendationem pro certo habere possum, quippe quae codicum traditionem parum respiciat. Immo ab iis, quae A praebet, proficiscens haec legerim:

Ìllicinest? — Illic ést. — Malast mers, Pséudole: illuc sís vide

Ut transversus, non proversus cedit quasi cancer solet.

Sic et sententia et versus satis commoda emendatione restituta est, cum facile evenire potuerit, ut vocativus ille *Pseudole* in notam personae loquentis transiret. Denique *malast mers* potius quam *mala mercist* usui dicendi Plautino convenire his locis demonstratur: Mil. 729: *quae probast mers* (AP Nonius) *pretium ei statuit.* Poen. 342: *Proba mers* (AP) *facile emptorem reperit.* Cist. 727: *Mala mers* (P; A n. l. *mens* B²), *era, haec et callidast.* Men. 758: *Ut aetas malast, mers mala ergost*] *mers* Non.; *merx* P (*mer* . . . B [=*mercis?*]); A n. l. Mil. 894: *Mala mulier mers est*] *mala milla mer est* CD *mala mulier est* B, A n. l.

Copula denique eodem modo interposita est Trin. 24 *immoenest facinus;* Mil. 377: *mirumst facinus quo modo haec . . . potuit;* Mil. 682: *nam procreare liberos lepidumst opus;* Mil. 915: *ubi probus est architectus;* cf. Mil. 729 (supra).

Item fluctuant codices Mil. 997, ubi Milphidippa de Acroteleutio domina, quae gloriosi domum iam intrare vult, loquitur. Scripsit Leo, qui, quae codices (A n. l.) tradunt, quam potuit maxime servavit:

eos nunc homines metuo, mihi ne obsint neve opstent uspiam,
domo si bitat, dum huc transbitat, quae huius cupiens
corporist.

Prior versus pars sic tradita est: *domosibit* (*domus ibit* C) *ac dum huc transiuit adque* (*atq,* B, *atq'* D, *atque* C). Ne in ipso quidem postremo versus verbo codices congruunt; extat enim *corpori st* in B, *corporis est* in CD. Satis incerta igitur haec quoque lectio est; quo magis *est* in versus finem prave transpositum esse et Plautum ipsum *quae huiust cupiens corporis* scripsisse credere licebit.*)

Merc. 672: anus ancilla tarde dominam secuta, cum celerius ire iussa sit, se defendit:

Nequeo mecastor: tantum hoc onerist, quod fero.

Solus B habet *onerist* vel potius *oneri st*, cum reliqui (A n. l.) *oneris est* praebeant. Fortasse *hoc* eiecto scribere licet: *Nequeo mecastor: tantum est oneris, quod fero.* Melius enim *hoc* omittitur, cum ancilla non ea, quae portat, potissimum significet, ad quae tamen sola *hoc* spectaret. Immo cum Dorippa domina rogaverit: *Quid oneris?* respondet: *Annos octoginta et quattuor et eodem accedit servitus, sudor, sitis;* denique etiam adicit *simul haec quae porto deprimunt.*

Restant duo loci, quorum condicio emendationem non provocat, Amph. 653: *bona quem penest* (BD, *penes est* I; AC desunt) **) *virtus*, clausula cantici baccheici, et Curc. 407: *quid eum nunc quaeris? aut cuiatis'?* (BEI; ACD desunt) — *Eloquar.*

Videmus igitur hanc contractionem codicis A auctoritate non adiuvari, immo Pseud. 954 Ambrosiano *mala*

---

*) *Est* librariorum neglegentia saepe transmutatum est, qui error in aliis quoque codicibus invenitur: e. gr. Lucr. II 275: *Perspicuum nobisst* pro *perspicuumst nobis;* III 674: *opere animist* pro *operest animi;* III 68 : *solita animist* pro *solitast animi.*

**) Aliter Truc. 858a: *quám penes ést;* quamquam forma contracta si legeretur id optime in versum quadraret.

mercist scribere vetamur. Aul. 421, Mil. 997, Merc. 672 *testist corporist onerist* non recte tradita esse aliis causis comprobatur. Duo sunt loci, quibus *penest cuiatis'* recte legi viderentur, nisi ipsa formarum singularitas suspicionem moveret. Quae cum ita sint, his quoque locis *bonast quem penes virtus* et *aut cuias es?* praeferemus.

Fines igitur quaestionis, de qua agimus, a Leone non satis arte circumscriptos esse apparet, cum nullae voces nisi in *-ŭ* + *s* exeuntes cum *est* sequente coaluerint. Nam illud *similest* quippe quod aliter atque haec, de quibus nunc ago, interpretandum sit, hic etiam omitto. Ceterum etiamsi scripturae *testist corporist* sim. melius essent firmatae, non intellegi posset, cur *corporis est* (*corporist*) et *similis est (similest)* non pari contractionis ratione usa essent, siquidem utrumque ad *-s* finalem obscuratam referremus. Quibus de causis Leonis sententiam probare non possum et circumspiciendum est, undenam id sit repetendum, quod unam fere *-ŭs* syllabam haec contractio arripuerit.

Verum enim vero ea ipsa re, quod *-ŭs* terminatio multo crebrius quam *-ĭs* et *-ĕs* in sermone Romanorum adhibebatur, evenire iam poterat, ut litterarum *-s est* in *-st* contractio a compositione *-ŭs est* initium caperet. Sed aliud accedit, quod summi in hac re momenti est, dico perfecti passivi conformationem. Necesse enim erat, ut formae *factus es*, *factus est*, *laudatus es, laudatus est,* similes eodem numero cum ceteris verborum formis haberentur atque prorsus quasi unum verbum non enuntiarentur solum, sed etiam intellegerentur; qua re factum est, ut copula *est* loquentium et enuntiatione et opinione artius etiam cum participio coniungeretur et propriam vim magis amitteret, quam in *civis est*, *hortus est*, similibus. Itaque syllabarum in *-us* cadentium cum *est* contractionem ab altera et tertia personis sing. perf. pass. profectam

esse aio: primo *factus es*, *factus est*, similia in *factus factust* contracta sunt, quae contractio postmodo omnia alterius declinationis nomina arripuit atque postremo usque eo propagata est, ut quamlibet formam, quae in brevem *u* cum *s* simplici exibat cum *es est* contrahere liceret. In hoc autem numero habenda sunt: nominativus singularis quartae declinationis (*usust*); declinationis tertiae nominativus singularis generis neutrius (*onust*, *meliust*); genetivus pronominum (*eiust*, *huiust*, *illiust*); adverbia in *-us* (*intust*, *secust*). Tum autem huius contractionis propagatio substitit neque umquam *-is* syllabam cum *est* in unum contractam esse supra comprobavi. Simul etiam cur *virtust*, *salust*, similia non inveniantur, iam habet, unde explicari possit.

Sed cum *-um est* a Plauto fere semper in unam syllabam cogeretur, *-us est* etiam intra illos fines non minus solute quam contracte enuntiare poetis licebat; tamen ita res se habet, ut enuntiatio contracta in versibus Plautinis praevaleat. Cuius rei ratio hac tabula illustretur. Invenimus enim:

	-us|est	-us^est
Amph.	16 ies + 5° ies	30 ies + 6° ies
Asin.	10 + 2°	18 + 4°
Aulul.	3 + 1°	12 + 4°
Bacch.	22 + 3°	27/28 + 4°
Capt.	23 + 5°	18 + 8°
Casin.	8 + 3°	11/12 + 4°
Cist.	6 + 1°	6 + 3°
Curc.	8 + 2°	11 + 6°
Epid.	5 + 3°	14 + 6°
Men.	6 + 4°	17 + 10°
Merc.	12 + 4°	31 + 3°
Mil.	18 + 3°	25 + 5°
Most.	9 + 2°	21 + 8°
Pers.	14 + 2°	23 + 7°

	-us|est	-us^est
Poen.	20 + 3°	26 + 7°
Pseud.	23 + 5°	27 + 15°
Rud.	15 + 5°	43 + 6°
Stich.	7 + 1°	13 + 6°
Trin.	10 + 10°	28 + 9°
Truc.	13 + 3°	39 + 12°
Summa:	248 + 67°	440 + 133° *)

Utrum autem *-us est* an *-ust* legendum esset, scribendo non semper notabatur; nam ubi *-ust* exigitur, saepissime *-us est* in codicibus scriptum legimus. Tamen ex totidem fere locis contracte scriptis olim et in principio ubique *-ust -us* pro *-us^est*, *-us^es* in Plauti fabulis scriptum fuisse apparet. Etiam *-us* pro *-us^es* praecipue esse servatum memorandum est; cuius rei causam inde traxerim, quod hic non nisi ex sententiarum contextu discerni poterat, utrum, exempli gratia, *factus* solum participium perfecti esset an 2. pers. perf. pass.

Waldemarus Olsen, Quaestionum Plaut. de verbo substantivo (Gryph. 1884) pag. 5 sqq., ut *-us es* syllabae in *-us*, ea lege, qua nos ad hanc formam a solo casu nom. 2. decl. distinguendam scribere solemus *-u's* (equidem *-us'* praetulerim), contractae sint, ullo modo fieri potuisse negat. *-us est* autem syllabas in *-ust* contractas esse idem

*) Longe aliter iam apud Terentium res se habet. Est enim legendum:

	-us|est	-us^est
Andr.	25 ies + 2° ies	12 ies + 4° ies
Eunuch.	15 + 2°	9 + 4°
Heaut.	19 + 8°	3 + 4° (+ 1 arg. + [1])
Phorm.	27 + 3°	7 + 4°
Hec.	12	4 + 1°
Adelph.	12 + 5°	5 + 3°
Summa:	110 + 20°	40 + 20°

negare non potest. Nimirum non erat, cur Plautus *es* crebrius omitteret quam *est*: scilicet plerumque certis tantum condicionibus, quas Ritschelius (opusc. II. p. 608 sq.) ostendit. Quamquam Ritschelium huius ellipseos fines paullo angustius circumscripsisse concedo. Ut paucis locis dubitari possit, Plautus utrum *es* voculam abiectam an cum priore vocabulo contractam esse voluerit, editores tamen omnibus fere, qui huc pertinent, locis recte *es* cum *-us* in unum contractum esse iudicavisse inde iam apparet, quod sic et formae *us est* contractae ad non contractas et formae *us es* contractae ad non contractas eandem rationem habent ut duo ad unum: vide tabulam pag. 54—55 interpositam. Ceterum *s* littera in *-us'* acrius efferebatur quam in *-us*; fuit enim geminata, ita ut etiam arsin expleat Mil. 825: *Eho tú, sceleste, quí illi suppromús' eho* (*supp̃m› seho* B).

-us est pro *-ust* extat:

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino	Summa
Amph.	—	—	—	19	2	21
Asin.	—	—	—	10	—	10
Aul.	—	—	—	$12+1^{\circ}$	—	$12+1^{\circ}$
Bacch.	1	—	—	$7+1^{\circ}$	9	17+1
Capt.	—	—	—	9	1	10
Casin.	$1+1^{\circ}$	—	—	$6+3^{\times}+1^{\circ}$	—	$10+2^{\circ}$
Cist.	—	—	—	$4+1^{\times}+1^{\circ}$	1	$6+1^{\circ}$
Curc.	—	—	—	8	—	8
Epid.	—	—	—	5	1	6
Men.	1	—	—	$4+1^{\times}$	1	7
Merc.	—	—	—	$5+2^{\times}$	$7+1^{\times}+1^{\circ\times}$	$15+1^{\circ}$
Mil.	1	—	2	4	$4+1^{\circ}$	$11+1^{\circ}$
Most.	1	—	1	$7+2^{\times}$	1	12
Pers.	1	—	1	$9+1^{\times}+1^{\circ}+1^{\circ\times}$	—	$12+2^{\circ}$
Poen.	2	—	3	$4+3^{\times}$	—	12
Pseud.	—	1	3	$5+5^{\times}$	1°	$14+1^{\circ}$
Rud.	—	—	—	$19+1^{\times}$	—	20
Stich.	—	—	—	$3+6^{\times}$	—	1
Trin.	—	1	1	$1+1^{\times}+1^{\circ}$	2	$6+1^{\circ}$
Truc.	1	—	—	15	—	16
Vidul.	—	—	—	—	—	—
Frgm.	—	—	—	—	—	—
Summa	$9+1^{\circ}$	2	11	$156+26^{\times}+6^{\circ}+1^{\circ\times}$ $(182+7^{\circ})$	$29+1^{\times}+2^{\circ}+1^{\circ\times}$ $(30+3^{\circ})$	$234+11^{\circ}$

-ust servatum est:

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino	Summa
Amph.	—	—	—	4+5°	5	9+5°
Asin.	—	—	—	3+4°	1	4+4°
Aulul.	—	—	—	3°	—	3°
Bacch.	1	1	—	4+3°	11	17+3°
Capt.	—	—	—	7+8°	2	9+8°
Casin.	1°	—	4	1°	—	4+2°
Cist.	3°	—	1	—	—	1+3°
Curc.	—	—	—	2+4°	—	2+4°
Epid.	1°	—	—	5+5°	1	6+6°
Men.	3°	—	—	6+7°	1	7+10°
Merc.	1	2+1°	2	7+1×+6°	6	19+7°
Mil.	1+4°	2	1	2+9°	4+1×	11+13°
Most.	4°	—	1°	5+3°+1°×	2	7+9°
Pers.	1+1°	1	1+1°	6+6°	1+1×	11+8°
Poen.	2°	1	8	4°	3+1×	13+6°
Pseud.	3+8°	—	4	8+2×+4°	1×+1°	18+13°
Rud.	—	—	1	11+6°	4	16+6°
Stich.	1+3°	2	5+1°	1°+1°×	—	8+6°
Trin.	3+2°	2	5	7+1×+6°	3+2×	23+8°
Truc.	2+1°	—	4	6+1×+8°	1	14+9°
Vidul.	—	—	1°	—	—	1°
Frgm.	—	—	—	—	—	—
Summa	13+33°	12	36+4°	83+5×+92°+2°× (88+94°)	45+6×+1° (51+1°)	200+132°

Ceterum Leonis argumentis non iam stantibus quaestio rursus aperta est, *-us est* utrum per *-u est* au per *-us st* in *-ust* transierit. Nostra enim sententia, quam modo exposui, a neutra interpretatione aliena est, sed usque adhuc id tantum ostendi, cur haec contractio ex certis, quos vidimus, finibus non exierit. Alia igitur via nobis proficiscendum est, ut rem discernamus. Qua re librorum Plautinorum traditionem ipsam consulam, num ex hac, unde forma *-ust* sit orta, effici possit.

Iam supra vidimus (pag. 4) antiquos grammaticos latinos ita censuisse ut *cum fuerit . . . scriptum ‚audiendus est' . . . et similia generis masculini primam vocem integram relinquendam, ex novissima autem ‚e' et ‚s' detrahendam esse* dicerent. Quam quidem Victorini sententiam, nisi aliis argumentis firmabitur, haud tanti aestimabimus; tamen factum esse potest, ut Victorini temporibus, i. e. quarto p. Chr. n. saeculo, homines latine loquentes veram formae *-ust* originem et naturam senserint magis quam intellexerint.

Ex hac hominum doctorum sententia scriptura quaedam fluxisse videtur, quae haud ita raro in codicibus Plautinis extat. Invenimus enim *-us st* pro *-ust* scriptum his locis:

in A: Pseud. 713: *opust*] *opusst* A *opus est* P; 717: *allatust*] *allatusst* A *-ust* P; Most. 1068: *meliust*] *meliusst* A *melius est* P.

in P: Poen. 288: *satiust*] *satius si* P *satius* A; 294: *opust*] *opus sit* BCD *-pus est* A; 311: *opust*] A, *opus si* BCD; 374: *quid mentitust*] A, *quidem entitus sit* B *quidem mentitus sit* CD; 546: *meliust te*] *melius si te* B, *melius site* CD, A n. l.; 579: *opust*] A, *opus si* BCD *opus* Nonius; 902: *gnatust*] *gnatus st* BCD *gnatus est* A.

in BC: Poen. 534: *nefastust*] *nefastus st* BC *nefastust* D *nefastus est* A; Stich, 81: *opust*] AD, *opus st* BC.

in CD: Rud. 872: *meliust*] B, *melius st* CD, A n. l.;

Stich. 59: *habitu hau probost*] *probu st* B, *probus st* CD, *probus* A; Pers. 369: *meliust te*] B, *melius st te* CD, *melius est* A; 540: *suaviust*] AB, *suavius st* CD.

in B: Poen. 1232: *honestiust*] A, *honest iust* D, *honest iussi* B;

in C: Rud. 1057: *tuost* (= nom.):] *tuust* BD, *tuus st* C, A n. l.; Pers. 648: *habitust*] BD, *habitus st* C, A n. l.

Undevicesies igitur haec scriptura occurrit, atque ter quidem in A, septies in omnibus Palatinis, novies in uno aut altero Palatinorum. Quas scripturas cum ad communem codicum BCD fontem redire verisimile sit, (ipsae enim corruptelae, quas legimus, *-us si* vel *-us sit* scripturam *-us st* ex exemplari quodam communi, sive P ipso sive recentiore quodam librorum BCD fonte, falso translatam esse docent) *), tamen eas porro ad communem Ambrosianae et Palatinae recensionum fontem vel adeo ad ipsam Plauti manum referre audacius neque ullo alio argumento probatum est. Immo si ex grammaticorum doctrina fortasse vera, quamquam a Victorino male munita, originem eas cepisse dicimus, satis habere debebimus.

Fortasse etiam alia re haec scriptura propagata et servata est. Videamus has lectiones:

in A: * Merc. 285: *Quid est?*] *quidst* A *quid est* B *quidest* CD; * Mil. 469: *quid est?*] *quidst* A *quid opus est* P; — * 1139: *Quid est?*] *quidst* A *quid est* P; * Pers. 6: *non est sciunt*] *nonst* A ante corr. *ñ ẽ* C *nonem* B *non est* D; Poen. 865: *Quid id est?*] *quididst* A *quid id est* (*idest* C) P. Poen. 1333: *Quis hic est?*] *quis hicst* A *quis hic est* P; * Stich. 330. Pinacium *Ubi is est?*] *isst* A *is est* P.

in B: Asin. 329: *satis est*] *satis st* B *satis est* DE, A deest; * Asin. 786: *optumest*] *optūst* B (i. e. *optumst*),

---

*) Nisi quod Stich. 59 codicum CD librarii *-u st* illud, quod in librorum BCD fonte erat et B servavit, in *probus st* commutavisse videntur, ut *probu* supplerent.

optum est CD, A deest; * Epid. 461: *non est*] *nonst* BE (CD desunt); Men. 498: *nomen tibist*] *-ist* A *tibi nomenst* B¹ *tibi nomen sit* CDB²; * Mil. 964: *nuptanest an vidua*] *nuptanst vidua* B *nuptanistanuida* CD, A n. l., Merc. 884: *miser*] B ex corr., *miserst* C *miser est* D¹, A n. l.

Quibus locis omnibus plena syllaba *est* ad metrum apte convenit*); illis locis, quos asterisco notavi, pronuntiatio contracta ipso metro non admittitur; qua re has scripturas non ad pronuntiationem, sed ad librariorum rationem scribendi tantum spectare conspicuum est. Certius etiam quam ceteris exemplis lectione *optumst* (Asin. 786) docemur librarium his locis plane *-est* legi voluisse, cum per abbreviationem *-st* scriberet. Nam *optume est* in *optumest* contractum porro *optumst* enuntiatum esse, nemo iudicabit; neque *optumst* calami errore vel per haplographiam, quae dicitur, ex *optumumst* ortum esse potest, cum *optumum est* locutio a Plauto aliena sit, qui semper *optumest* dixerit.*) Contra *optumest* syllaba *-um* reduplicata in *optumum est* transiit: cf. Stich. 537: *optumest*] A, *optumum est* P; Bacch. 502: *optumest*] P, *optumum est* A.

Ex his igitur locis nullum adminiculum extrui potest sententiae eorum, qui Plautum etiam post *c* consonantem *est* voculam decurtasse putent. Quae sententia praeter alios a F. Osanno (Cic. de rep. pag. 482) probata a Ritschelio iure refutata est, qui dicit opusc. II p. 616: *Falsch ist, wenn Osann lehrt, Plautus habe die barbarischen Unformen ‚illicst' und ‚istucst' brauchen können.* Sed nuper

*) Exceptis Men. 498 et Merc. 884, in quos versus errata quaedam irrepserunt. Qui error Men. 498 prava verborum inversione, quae creberrima in libris Plautinis extat, natus est, cum Merc. 884 librarius ad *Quid ibi faceres?* — *Quod miser* (scil. *facit*) illud *est* perperam adiecerit.

**) Leo ad Capt. 10: *optumum* Plauto τό ἄριστον est, *optumest* = κάλλιστα ἔχει.

Guilelmus Lindsay, qui vir doctissimus optime quidem de Plauto meritus est, Stich. 237:

Adíbo ad hominem — Quís haecst quae mihi advorsúm venit (sic A, nisi quod *haec est* praebet) scribere ausus est (Ancient Editions of Plautus pag. 65), cum Leo praeferat, quae P tradit: *Adíbo ad hominem — Quís haec est quae ádvorsum it mihi.*

Certe tamen librorum manuscriptorum traditione sententia illa haudquaquam firmatur neque alia video argumenta, quibus ea fulciri possit.

Sed pergamus. Multo etiam minus quam scriptura *-us st* res in contrariam quidem partem diiudicatur observata lectione *-u est*, quae pro *-ust* ter in codicibus Plautinis extat:

Men. 451: *qui íllum di omnes pérduint, qui prímus commentúst* ⏑ —] *commentu est* P [*co*]*m̃e* — A; versus mutilus.

Poen. 513: *nam íste quidem gradús succretust críbropollinário*] *succretu est* C *succretust* BD, deest;

Poen. 959: *is in hísce habitare monstratust regionibus*] *monstratu est* A *monstratus st* P.

Immo ut Stich. 59 in lectione *probu st* codicum CD librarios priorem vocem supplevisse verisimile est (supra p. 57 in adn.), ita his locis ipsum illud *st* a librariis ita expletum esse ut *est* nasceretur suspicor eodem modo, quo *a st* in *a est* commutatum esse supra vidimus.

Restat, ut de *-us*, quod saepe pro *-ust* scriptum invenimus, pauca dicam. Extat enim:

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino	Summa
Amph.	—	—	—	1	3	4
Asin.	—	—	—	1	—	1
Aul.	—	—	—	—	1	1
Bacch.	—	—	—	1	3	4
Capt.	—	—	—	—	1	1
Epid.	—	—	1	1	—	2
Men.	—	—	1	2	1	4
Merc.	—	—	1	2	2	5
Mil.	1	—	—	2+3×	2+2×	10
Most.	—	—	—	1	—	1
Pers.	—	—	1	—	—	1
Poen.	1	—	1	1+2×	—	5
Pseud.	—	—	—	2×	—	2
Rud.	—	—	—	5	1	6
Stich.	—	—	—	1	—	1
Trin.	—	—	—	1+3×	1×	5
Truc.	—	—	—	5+2×	—	7
Summa	2	—	5	24+12×	14+3×	60

In qua terminatione *-us* interpretanda gravissimum est, quod posterioris latinitatis poetae, exempli gratia Claudius Claudianus, copulam *est* semper omittebant, nisi aut metro aut sermonis vi postulabatur: vide Birtium, Claudi Claudiani carmina ed. praef. pag. CCXXTV.*) Qua poetarum aequalium consuetudine evenit, ut *est*, cum intercidisset, ne desideraretur quidem; propterea facillime librorum etiam veterum corruptela *-us* et manere et propagari poterat. Atque

*) Poetas epicos, qui Augusti aetate vixerunt, saepe iam copulam *est* omisisse et alii et Leo, De Senecae tragoediis obss. crit. 185 sqq. observarunt.

eo crebrius librarios in hunc errorem incidere necesse erat, cum etiamsi littera *t* omittebatur totum tamen et integrum verbum maneret. Itaque etiam illis, quos supra enarravi, locis, quibus *-us* pro *-ust* = *-um^est* scriptum est, non nisi adiectiva vel participia invenimus, sicut *certus factus mirus decretus* similia; numquam, ut exemplo utar, pro *argentum^est argentus* vel pro *ubinast* (Merc. 433) *ubinas* scriptum legimus. Atque Mil. 523 *negotiust* (B[2]) littera *t* amissa non in *negotius*, sed porro in *negotiis* (B[1]CD; A n. 1) corruptum est.

Iam codicum traditione, quamvis ad alias res grammaticas intellgendas utilis sit, hac in quaestione nos relinqui neque hac quidem via ad finem perventuros esse profitendum est.

IV. De copulae *est* cum *similis qualis* coagmentatione.

Sed unum genus nominum cum *est* in unum contractorum supra praeterii: nom. sing. masc. *similest* et quae in eodem numero sunt habenda. Quae quidem Leonis sententiam restituere videntur, id quod revera facerent, si cogeremur, ut formam *similest* ex *simile est* et *simili est* natam esse crederemus.

Leo l. c. pag. 258 sq. haec exempla ex Plauti fabulis tracta contulit: Amph. 442, 443; 537; 538; 601; Aul. 324; Bacch. 6; Capt. 518; Men. 1063; Merc. 451; 1005; Stich. 74; 765; Trin. 679; 828; Truc. 170; 505; 507. Dubia praeterea, utrum masculina sint an neutra: Mil. 1062; Asin. 8. Ad illa vero sunt addenda: Pers. 201; Poen. 315; Aul. 448.

Sed nominativum generis masculini sive *simili est* sive *simile est* umqum extitisse equidem nego. Propius

accedamus: *simile est* pro *similis est* antiquissimos poetas latinos scripsisse a duobus testibus firmatur, a grammaticis latinis et libris manuscriptis. Sed grammaticos vel eorum auctores non nisi has formas novisse persuasum habeo: 1) *similis est* 2) *similest.* Atque hanc quidem alteram grammatici antiqui parum accurate ita interpretabantur, ut *neutrum pro masculino positum* *) esse dicerent; quo factum est, ut eodem modo, quo *similest* neutrius generis forma, haec quoque in *simile est* scribendo distraheretur. Quae cum ita sint, et illam grammaticorum sententiam, quamvis sit antiqua, et codicum auctoritatem minimi faciemus et formam *simile est* forma *similest* non vetustiorem, sed recentiorem atque illam ex hac ortam esse quam contra putare malemus. Scilicet eodem modo librarii etiam *volupest* falso in *volupe est* distraxerunt; **) nam *volup*, non *volupe* scribendum esse ex locis illis apparet, quibus in versus fine positum est *ést volúp*, *fecít volúp* sim. ***) Neque codex A in hunc errorem incidit; quattuor quidem, quibus legi potest, locis recte habet *volupest.* Quam rem Ritschelius mus. rhen. vol. VII pag. 319 exposuit. cf. etiam *me de esse* pro *med esse* Amph. 435; Amph. 958.

Licet igitur illius scripturae distractae *simile est* testimonia neglegere; formae autem *simili est* nulla omnino vestigia inveniuntur. Tamen quod ad ipsam formam *similest* attinet, eo maioris sunt momenti Noni Marcelli testimonia, quod codex Ambrosianus in hac quaestione prorsus nos deficit ac ne uno quidem loco, de quibus acturi sumus, legi potest. Firmant enim inter se, quae Nonius et codices Palatini nobis tradunt. Iam videamus,

---

*) Nonius pag. 198_{31} ed. Mueller, et alibi.

**) Amph. 958 P; A n. l.; Rud. 1176 B; Rud. 892 CD.

***) Asin. 942; Casin. 784 (*volupe* P); Men. 677; Most. 153 (*volupe* CDB.[a]).

ad quaenam adiectiva Noni Marcelli exempla spectent: atque compluribus quidem Compendiosae Doctrinae locis ille de hac re verba facit:

1. pag. 224, $_{29}$ ed. M.: *Simile est, pro similis est; pro masculino positum neutrum. Titinius Fullonibus: ,formicae pol persimilest (-le est* codd.) *rusticus'. Naevius in Gymnastico: ,[pol] haut parasitorum aliorum similest (simile est* codd.) *hic homo'. Novius in Militibus Pometinensibus: ,tú pueri pusilli similes (simile est* codd.), *quia enim ad os fers quicquid nanctus'.*

Cui scripturae Nonianae *simile est* (i. e. *similest)* pro *similis est*, cuius exemplum ex Plauto nullum affert, in fabulis Plautinis haec respondent satis certe tradita:

Amph. 442. 443: Sosia Mercuri, imaginis suae, specie perturbatus: *Certe edepol*, inquit, *quom illum contemplo et formam cognosco meam,*
Quem ad modum ego sum — saepe in speculum inspexi —: nimis similest mei.
Itidem habet petasum ac vestitum: tam consimilest atque ego.
(*simile est* BE, *simile* in *similis* corr. D, AC desunt; *consimile est* BDEI).

Amph. 601: Idem Sosia a Mercurio conturbatus ad Amphitruonem: *Néque lac lactis mágis est simile quam ílle ego similést mei.* Ubi *simile est* BEI, idem correxit in *similis est* D (cf. v. 442). Truc. 505. 507: Stratophanes ab Astaphio ancilla ludificatur, quae pueri Phronesio dominae suppositi ipsum patrem esse ei persuadet:
Ast. *Péperit* (Phron. scil.) *puerum nimium lepidum.* Strat. *Ehem écquid mei, similést?* Ast. *Rogas?*
Quíne ubi natust má-ma-machaeram et clúpeum poscebát sibi?
Strat. *Méus est: scio iam de árgumentis.* Ast. *Nímis quam túi similést.* Strat. *Papae.* Ubi v. 505: *si mille ẽ* BD[1] *simille est* C *similis ẽ* D[3] (cf. Amph. 442, 601). v. 507: *similest* BCD, A n. l.

Minus certe traditum est Truc. 170:

Ast. *Amator similest cppidi hostilis.* Diniarchus: *Quo argumento*[*est*]*?* ubi *similest* B *similis est* CD, A n. l.

Atque ipsa quidem codicum auctoritate minime munitum esset, nisi ceteris, quos vidimus, locis et ipsius loci habitu valde comprobaretur, exemplum, quod extat Men. 1063: Messenio, Menaechmi (Sosiclis) servus, verum propriumque Menaechmum adspiciens: *Pro di immortales,* exclamat, *quid, ego video?* Sos. *Quid vides?* Mess. *Speculum tuom.* Sos. *Quid negotist?* Mess. *Tuast imago. tam consimilest quam potest.*
Sos. *Pol profecto haud est dissimilis, meam quom formam noscito.*

Ubi *consimilis* ~ (i. e. *est*) B[2], *consi* cum rasura sex litterarum (*-milest?*) B[1], *consiliaest* D, *-les* sive *-le* A.

Plauto *similest* forma usitatior erat quam *similis est*; nam bis tantum metro urgente *similis est* scripsit: Pers. 14, initio tetrametri trochaici: *Símilis ést Sagaristionis* et Capt. 116: *consímilis ést* atque quamquam Terentius *similest* illud aspernatus est et *similis est* praetulit (Heaut. 1020, Eunuch. 496), nihilo minus *similest* diu etiam in sermone cottidiano servatum esse videmus ex Titini, qui Terentio aequalis erat, et Novi, qui *Atellanarum probatissimus scriptor* (Macrob. sat. I $10._3$) saeculi a. Chr. n. primi initio florebat, versibus illis a Nonio laudatis.

Cum illis autem locis coniungendi sunt hi: Merc. 1005; Stich. 74; 765, id quod et adiectivorum natura, quae ibi inveniuntur, et librorum manuscriptorum auctoritate probatur.

Merc. 1005: *Eamus intro, non utibilest hic locus factis tuis,*
dum memoramus, arbitri ut sint, qui praetereant pervias.

Ubi A. n. l.; CD praebent *utibile si*: *st* in *si* commutato, quae corruptela crebrerrima in codicibus Plautinis extat.

In B *ut sint* scriptum est, ad quem errorem, qui fortasse ad *ut sint* illud proximi versus referendus est, etiam Mil. 613 conferas, ubi pro *utibile* in B *ut sibile* scriptum legimus.

Stich. 74: Panegyris, uxor altera, sororem admonet: *adversari sine dedecore et scelere summo haud possumus, neque equidem id factura neque tu ut facias consilium dabo, verum ut exoremus. novi ego nostros: exorabilest.* De patre scilicet locuntur. *exorabile est* in P legitur, in A aut *exorabilist* aut *exorabilest.*

Stich. 765 denique Leo bene restituisse mihi videtur, qui sic scribit: Stich. *Prostibilest tandem? stantem stanti savium dare amicum amicae? euge euge sic furi datur.* Ubi *prostibiles* BD *prostipiles* C. Ut hoc loco, ita *t* intercidisse videmus Trin. 828, ubi *nobiles* pro *nobilest* in CD, *nobilis* in B; contra *turpest* pro *turpes* invenitur Poen. 306 in A. In annalium, qui Archiv für Lexikographie inscribuntur et E. Wölfflini auspiciis eduntur, vol. IX p. 166 Leo hunc locum optime est interpretatus.

Nimis autem audacter factum est, quod Capt. 518 *sperabilis est*, quod omnes codices (BVE; ACD desunt) tradunt, editores sive in *sperabilist* sive in *sperabilest* contraxerunt. Tyndarus servus, qui ut dominus e captivitate dimitteretur cum ipso partes mutavit, rebus suis desperat, cum fraudem iam detectum iri videat et

Hic illest, inquit, *dies cum nulla vitae meae salus sperabilis*) est.*

Qui versus, siquidem *est* illud a communis BEV exemplaris librario omissum et in margine adiectum et ita in versus finem delapsum esse recte suspicamur, sic erit scribendus:

Hic illést dies, cum núllast vitae méae salus sperábilis.

Denique Trin. 679 et 828 cum Mil. 1062 et Asin. 8

---

*) adjectivum *sperabilis* non nisi hoc loco Plautino invenitur.

coniungendi sunt, nam illis quoque locis neutrum non minus quam masculinum genus intellegi potest. Trin. 679: Lysiteles adulescens Lesbonicum amicum levissimum admonet, ne vitiis familiam perdat et quasi incendat: *tum enim*, inquit,

tibi aquae erit cupido, genus qui restinguas tuom
atque si eris nactus proinde ut corde amantes sunt cati —
ne scintillam quidem relinques, genus qui congliscat tuom.

Ad quae Lesbonicus iocose respondet:

Facile est (sic P; A n. l.) *inventu: datur ignis tametsi ab inimico petas.* Nihil obstat, quin *facile est* non ad *scintillam*, sed ad totam sententiam, quae est *non erit, qui genus tuom congliscat*, referamus. Similiter v. 828, si *nobiles* (CD) vel *nobilis* (B; A n. l.) a Leone recte in *nobilest* correctum esse concedimus (*est* enim desiderabatur), tamen hoc *nobilest* non ad *gloriam* retrospectare, sed ad ea, quae secuntur, trahendum esse censemus; Charmides enim Neptuno gratias agit, quod longo itinere superato incolumis domum rediit, et laudibus tollit maris dominum:
. . . *atque hánc tuam glóriam iam ánte auríbus accéperam,*
et nóbilest ápud hominés
paupéribus té parcére solitúm dités damnáre atqué domaré.

Ut hic *nobile* pro *notum* positum est, ita *ignobilis* pro *ignotus* Pseud. 592. Apud posteriores autem scriptores *nobilis* pro *notus* saepissime inveniri res satis trita est.

Sed haec hactenus. Redeamus ad Nonium, qui aliud etiam illius contractionis genus memorat:

2. a) p. 227_{12} M.: ,*Tale*' *positum pro talis.**) *Titinius Getina*: ,*accede ad sponsum audaciter. vergo, ulla talest Setiae?*' *nulla est talis etiae* traditum est, bene a Muellero correctum.

---

*) Dicere debebat Nonius: *Talest positum pro ,talis est*'.

b) p. 198,32 M.: ‚*Culest*' *pro* ‚*qualis est*'; *neutrum positum pro masculino. Plautus Amphitryone*: ‚*edepol condignum donum, qualest qui donum dedit.*'

Quod ad formam *culest* pertinet, recte Mueller *plebeia haec ac rustica, sed servanda, ut Noni; nam auctoribus ab eo allatis non tribuerim* adnotat, *sculitate* (p. 126,4) *et isculitate* (p. 401) pro *squalitate* conferens.

Quibus Noni testimoniis nec minus codicum Plautinorum auctoritate forma *qualest*, quam Amph. vv. 537 et 538 invenimus, ita munitur, ut eam ipsius Plauti esse affirmare possimus. Est locus ille, quo Alcumena pateram, donum Jovis, quem putat Amphitruonem coniugem esse, laudat: *Ecastor condignum donum, qualest qui donum dedit (quale est* BD *qualis est* EI, AC desunt); tum Mercurius, qui, ut iam vidimus, Sosiae servi speciem induit, hanc laudem ad Alcumenam urbane reducit:

Immo sic condignum donum, qualest cui dono datumst: (qualest BDE *qualis est* DF).*)

Quibus fortasse adiungendus est Aulularlae v. 324: Pythodorus alterum ex duobus coquis a Megadoro domino suo conductis electurus est; tum Anthrax alterum, Congrionem, detrahens:

Locus ílle, inquit, *nundinálest, in nonúm diem solet ire coctum.* Ubi *nundinalis est* praebent libri BI, *(-atlis est)* D; AC desunt; sed *nundinale est* Festus p. 173 M.: *Nundinalem cocum Plaut* [*-us dixit in Aulularia*: ‚*cocus ille nun-*] *dinale est* [*in nonum diem solet ire coctum*'; *hic ab aliis*] *novendial* [*-is appellatur et cocum viliorem sig-*] *nificat, quem* [*tenuiores conducebant, ut in nonum diem coque-*] *ret.***) Haec interpretatio num recta sit quaeritur. Nam adiectivum *nundinalis*, quod ἅπαξ εἰρημένον est, ad nun-

---

*) Distracte *qualis es* legimus Rud. 875; *talis est* frgm. inc. LIII.

**) Quae uncis saepta sunt, in codice non extant, sed Scaligeri coniectura sunt suppleta.

dinas potius quam ad diem, quo cena novendialis, i. e. funebris celebrari solebat, referri potest; quin etiam ob eam ipsam causam, ut opinor, Plautus novum adiectivum *nundinalis* conformare (*novendialis* enim usitatum erat) non dubitavit, quo facilius haec allusio ad *nundinas*, quae nono quoque die erant, intellegeretur. Quae Leonis quoque sententia esse videtur, qui ad legis Bantinae (CILI 197 v. 32) *nondin(um)* nos delegat. Itaque in nostram linguam verba illa sic fere vertemus: *Er ist ein Markttagskoch: nur alle Markttage einmal geht er um zu kochen* i. e. non conducitur nisi nundinis, quo die coquos maxime quaesitos esse consentaneum est. Quod autem ad formam *nundinale est* (i. e. *nundinalest)* pertinet, haud ita certe illa tradita est, praesertim cum omnes codices Plautini *nundinalis est* praebeant. Verbi gratia *illest nundinalis* extitisse et *est* post *nundinalis* transposito *nundinalis* metri causa mutilatum esse coniecerim.*) Qua re *nundinalest* Plautum scripsisse pro certo habere non possum.

Neque vero Plautum Pers. 201 *peculiarest* scripsisse credo. Versus est octonarius trochaicus, septenarii enim in hac scaena octonariis (v. v. 192; 193; 196; 200—202) distinguuntur. Paegnium, puer ille, cuius indolem iam ex nomine cognosci posse poeta voluit, in Sophoclidiscam ancillam offendit. Tum Sophoclidisca:

Paegnium hic quidemst. Paegn. *Sophoclidisca haec peculiaris est* (P; A deest) *eius, quo égo sum missus.*

Sóphoclidísca haéc pecúliárest eíus Leo legi vult, sed minus periculosa Ritscheli emendatio est, qui copula transposita scripsit:

Paégnium hic quidemst. — *Sóphoclidisca haec ést peculiáris eius . . .*

---

*) Optime conferri potest locus ille Servianus supra laudatus, quo cum *decernere* pro *cernere* in versum quendam Vergilianum (Aen. XII 709) irrepsisset, multos ut versum servarent, *vir^ét decernere ferro* pro *virós et cérnere férro* legisse docemur.

Iam vero, ut tandem Nonium absolvamus, memoranda etiam sunt, quae pag. 218_{13} M. legimus:

3. *Pingue est pro pinguis est, neutrum pro alio genere positum. Novius Tripertita: 'si aútem pinguest, male cubandumst . . . putent pantices.'*

Ex Plauti fabulis huic adiectivo *pinguis*, quippe cuius stirps non in liquidam, quam dicunt, litteram cadat, respondere Leo putat locos: Merc. 451; Poen. 315; Aul. 448.

Veteris Codicis auctoritate firmatur quidem Merc. 451: Demipho ancillae forma egregiae, quam Charinus filius adportavit, amore captus, se amico eam emere velle simulat, ut ipse eam accipiat. Charinus autem, qui et ipse amore illam deperit, multas ambages exquirit, ne pater eam asportet; affirmat denique:

Póst autém commúnis ést (CD, *-nest* B; A n. l.) *illa mihi cum alio quí scio.*
quíd sit ei animí venirene éam velit an nón velit?

Siquidem Plautus hic *communest* posuit, eum praeter *similest* hanc quoque formam contractam non solum admisisse, sed distractae longe praetulisse efficitur, nam id quod CD praebent, optime ad versum quadrat, atque hiatus inter *cum* et *alio* in CD nullus est.*) Quod vix crediderim, praesertim cum multos locos videam, ex quibus Plautum syllabas *-is est* aut *-is es* non contractas minime sprevisse appareat: Bacch. 440 *septuennis est;* Epid. 102 *tristis est;* Men. 608; 777; 890: *tristis es;* Pers. 355 *immortalis est;* Poen. 975 *avis est;* 1133 *Veneris est;* Rud. 364 *dulcis es;* 740 *Cyrenensis es;* 1268 *popularis est;* Stich. 140 *hostis est;* Trin. 55 *immortalis est*; 254 *comis est;* Truc. 78 a. *phronesis est;* 241 *sterilis est*; 246 *agrestis est;* 489 *pluris est;* 819 *omnis est*; Vid. frg. II *Veneris est*; frg. XVI *Soterinis est.* Ne dicam de *potis*

---

*) Septenarii trochaici post quarti pedis arsin caesura offensionem nullam habet: cf. K. Gleditsch (Iwan Müller II ²) pag. 262.

est satis est quisquis est magis est aliis, quae saepissime occurrunt. CD igitur veram lectionem servavisse, B falso contractam formam induxisse puto.

Duo quae supersunt exempla coniectura in Plauti verba illata sunt. Poen. 315: Adelphasium et Anterastilis puellae se exornantes lepidissime nobis proponuntur:

Ad. *Víden tu? pleni oculí sorderum quí erant, iam splendént mihi.*

Ant. *Immo etiam in medio óculo paullum sórdest* (Leo; *sordet* AP; *sordist* Gruter). Ad. *Cedo sis déxteram.* Equidem ut facillima emendatione *paullum sordes* rescribatur, proposuerim proficiscens a Truc. 378 sqq.:

Diniarch. *Iam lauta es?* Phrones. *Iam pol mihi quidem atque oculis meis num tibi sordere videor?* e. q. s. Verbum sordendi in ipsius Poenuli v. 1179 legimus: *haud sordere visust festus dies.*

Aulul. denique v. 448 Congrio cocus, qui vapulavit, lamentatur: *Quid ego nunc agam? ne ego edepol veni huc auspicio malo.*

nummo sum conductus: plus iam medico mercede opus est.

Sic BDV; AC desunt; *mercedest opus* Leo; *mercedist opus* Bothius; *merces est opus* I. Ussing. Maiorem habet probabilitatem, quod C. F. W. Mueller (add. ad Pros. Plaut. p. 121) coniecit: *<pro> mercede opust.**)

Quibus locis examinatis si retro oculos vertimus, his fere verbis summam comprehendere possumus: *similest* et *qualest* Plautum scripsisse pro certo affirmare, per formae *similest* analogiam eundem Plautum *utibilest exorabilest prostibilest* admisisse eadem licentia, qua vel nova verba conformare minime dubitavit

*) Neque J. Vahlenium Enn. Sat. VI 6 adn. pro *tristis est*, quod traditum est, recte *tristest* legere concedere possum, praesertim cum hos versus satis corruptos esse appareat.

(verbi gratia *sperabilis nundinalis*), probabilitate quadam credere licet;*) reliqua aut erratis quamvis sane veteribus in Plauti verba irrepsisse aut nimia editorum audacia illis inculcata esse vidimus. Nec non animadvertendum est *similis* et *qualis* ea adiectiva esse, quae apud Plautum saepius quam alia in *-lis* exeuntia extent; atque in sermone quoque cottidiano ea maxime prae ceteris usu trita fuisse consentaneum est. Sed utut est, cum sola *similis* et *qualis* adiectiva saepius et praeter haec tam pauca, quorum stirps et ipsa in *l* littera exitum habeat, eaque tam raro hac sive contractione sive mutilatione affecta esse videamus, ipsa re quasi iubemur haec coniungere cum nominibus illis in *l* exeuntibus, quae terminationem *-is* prorsus amiserunt. Legimus apud Ennium (v. 324 ed. Vahlen): *Debil homo.* **) In usum transiit *pugil; pugilis* Varro etiam adhibuit sat. Men. 89. Porro *vectigal* pro *vectigalis* scriptum est CIL. I 199_{16}: *is ager vectigal nei sit.* Huc denique pertinet etiam *famul* illud Ennianum (Ann. v. 314 ed. Vahlen):

*Reddidit e summo regno ut famul infimus esset.****)

Item Lucretius III 1034: *proinde ac famul infimus esset.* Haec autem nomina *debilis pugilis vectigalis famulus* eadem ratione, qua *celer dexter gener armiger signifer*,

---

*) Birtii benignitati debeo, quae Martiani Capellae codices et Bambergensis et Reichenauensis praebent: IV, 398 (p. 125 ed. Eyssenhardt) *homo risibile est*, IV 408 (p. 129_{15}) *voluptas utile est* et mox (p. 129_{32}) rursus *utile est* pro *utilis est.* Quas formas ipsius auctoris esse verisimile putamus; scilicet molesta doctrinae affectatione talia ex grammaticis commentariis, quibus etiam Nonius usus erat, Martianus assumpsit.

**) Nonius p. 95_{32}: *‚debilo' debilis. Ennius* lib. *IX. ‚debilo homo'.*

***) Nonius p 110_{7}: *famul famulus. Ennius lib. IX. ‚mortalem summum fortuna repente reddidit summo regno famul ut optimus esset'.*

alia plurima, terminationem *-ĭs* vel *-ŏs* litterae liquidae, quam dicunt, vi infirmatam abiecerunt. Atque si omnino aliqua forma revera umquam enuntiata, quae medium teneat inter *pugilis* et *pugil, famulus* et *famul*, ponenda est, *pug*^{e}*ls famuls* similiaque, non *pugili famulo* sunt postulanda, pariter atque omnes viri docti *celeris* et *dexteros* vocali *i* vel *o* elisa in *celers* et *dexters* et porro in *celer dexter* transiisse affirmant. Idem autem, quod de *pugil debil victigal famul* diximus, in *similest* quoque et *qualest* cadit, ita ut nihil aliud haec esse perspicuum fiat, nisi *simil est* et *qual est*. *Similest* iam Ritschelius (opusc. II p. 331 et p. 616 adn.) ita est interpretatus, quamvis idem *qualest* ex *qualist* corruptum esse putaverit.

Argumenta igitur, quibus Leo in forma *-us est* litteram *s* elisam esse demonstrare est conatus, non valent. Atque eo minus eius sententiam probare possum, quod aliis quoque generibus, in quibus *-s* finalem ante vocalem abiectam esse Leo contendit, gravissimae dubitationes obiectae sunt. Nam terminationem *-re*, quae verbi gratia in *loquare* praeter *loquaris* extat, multi viri docti non ex *-ris* natam, sed omnino aliam formam esse contendere non cessant (e. gr. Ferd. Sommer, Lat. Gramm. pag. 535.). Porro quod ad *mage pote sat fortasse* pertinet, nihil obstat, quominus ea, cum primo non nisi ante consonantes posita fuerint, postea ab hac condicione soluta etiam ante vocales admissa esse putemus. Praeter haec attulit Leo non paucos locos, quorum alteros non nisi *-s* littera ante vocalem eiecta cum arte metrica Plautina convenire, alteros sine *-s* traditos esse ostendere vult. Ex his unum genus seiunxit et aliter interpretatus est Birtius (mus. rhen. LI pag. 248), qui *multimodis, omnimodis, illas amb(as) estrices, optum(us) et carissumust* sim. ita intellegenda esse probabiliter exposuit, ut duo nomina una flexione declinata sint, sicut in lingua nostra *in gut und bösen Tagen, ein*

und demselben similiaque habemus.*) Idem vir doctissimus in *ornátus incédit* non *-s* finalem abiectam; sed secundum *damnas(esto)*, quod ex *damnatus* ortum esse constat, hac condicione *ornas* enuntiatum esse recte dicit.

Reliqua exempla singillatim examinare extra fines, quos mihi posui, egreditur; sed sic quoque *s* finalem ante vocalem positam umquam abiectam esse non satis constare videtur, neque, ut nunc res se habent, ullo modo fieri potest, ut hinc illi interpretationi formae *-ust* munimentum struatur. *-us est* igitur non per *-u est* in *-ust* transiisse sustineo et retineo. Una iam via patet, quam eis, quae dixi, comprobatis ingredi necesse est, ut *factus es* vocali *e* elisa in *factus's* contractum esse et deinde *s* in verbi exitu geminatam ad simplicem *s* reductam esse dicamus. Eadem ratione *factust* per *factus'st* ex *factus est* prodiisse apparet.

Quae litterae *e* elisio his momentis adiuvabatur:

1. Gravissimum est, quod *ĕ* inter easdem consonantes posita erat, qua in condicione facillime vocalis eliditur (Schuchardt, Vocal. II 397).
2. *Factus es* (sive *factus est*) quasi unum verbum enuntiatum esse atque intellectum supra memoravi. Litera *e* inter *s-s* posita cum iam per se facillime intercidere posset, eius elisio paene postulabatur, si *es* sive *est* cum *conditus* et aliis huiusce modi partici piis componebatur; a lingua enim latina verba, quae in quarta a fine syllaba accentum habebant, Plauti iam temporibus paene aliena erant.**) Similis erat con-

*) Aliam viam minus probabilem nuperrime instituit A. W. Ahlberg in Commentationibus philologis in honorem Johannis Paulson scriptis et Gotoburgi anno 1905 editis (pag. 1 sq.).

**) Nomina non nisi quadrisyllaba, quae a tribus syllabis brevibus initium capiunt, sicut *facilius mulierem*, in quarta a fine syllaba acuebantur.

dicio in compositione *similis est,* nisi quod in ea *i* littera post *l* infirmissima intercidit, copula *est* servata est.*) Contra in *conditus est* ipsa *est* syllaba tenuissima erat, quam ob rem *e* est eiecta.

3. Qua in elisione praeter copulae naturam encliticam ne ipsa quidem vocalis *e* infirmitas neglegenda est, quae manufestissime ex formis „sum“ „sumus“ „sunt“ apparet, quae *e* vocalem prorsus amiserunt: cf. Varro L. l. IX 100 (supra p. 11) et linguae graecae ἐϐμέν.

---

*) Qua de causa *similis* etc. non nisi ante *est* positum mutilatum est.

Plenus lectionum index.

I. *-m͡ est.*

Scriptum est: a) *-m est.*

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Amph.				23, 101 (*est* transpos.), 106, 191, 219, 227, 248, 249, 265, 343, 372, 374, 400, 418, 527 (cum Nonio), 553, 572, 599, 610, 617, 619, 634 (bis), 648, 660, 690, 692, 698, 700, 774, 787, 825, 829 (*est* transpos. in D) 847, 851, 858, 891, 920, 921, 942, (frg. IX (XIII): Nonius), 1035, 843 (cum Non.), 899	271 BJ, 423 BE 432 B, 862 (*ũ est*) DJ 1004 EJ
				41	5
Asin.				144, 152 (cum Nonio), 190, 244, 178, 247 (cum Nonio), 308, 328, 354, 388, 448, 451, 509, 595, 613, 631, 669, 682, 710°, 741, 836, 890, 905, 908 (bis), 919, 932 (*est* transpos.) 937 (cum Nonio), 944	

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
				28+1°	
Aul.				20, 105, 122, 129, 141, 154, 184, 188, 201, 206, 207, 235, 237, 260 (bis) 272, 277, 306, 321, 345, 421, 440, 485, 507, 572, 574, 581, 604, 609, 631, 674, 681, 699, 719, 741, 771, 785, 810	500 BDJ, 735 BE
				38	2
Bacch.		954 ACD	524	40, 126, 434, 470, 497×, 767, 1067, 1073	(frgm. XIX (XVI): Charisius) 161 B (*in mente est* CD) 924× CD, 86 CD, 103 B, 143 CD, 158 CD, 178 D, „*ẽst*" C, 219 CD, 240 CD, 246 CD, 312 CD, 325 CD, 329 CD, 335 CD, 358 CD, 379 CD, 382 CD, 388 CD, 409 CD, 501 (*-m ẽ*) D, 516 D, 739 CD, 755 CD, 994 CD, 996 a CD, 1006 CD, 1016 CD, 1049 CD, 1141 CD, 1156 CD

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
		1	1	7+1×	29+1×
Capt.				53, 91, 158, 183, 228, 333°, 414, 507, 520, 521, 523, 525 (bis) 638, 642, 700, 743, 756, 762, 765, 772, 789, 836, 860°, 868, 980, 1026	357 BD, 368 BD, 492 BD, 564 B, 681 B
				25+2°	5
Casin.	39, 87 91, 100, 585, 833, 858, 978, 584			8, 94×, 129×, 202 206, 294, 305, 319°, 356, 409, 412, 418, 448, 513, 522, 543, 584×, 622×, 666×, 722×, 878, 896, 902, 946, 1015×	344 VE (*u est* B) 1012 VE (B dcest), 378 B² 378 B
	9			17+7×+1°	4
Curc.				7°, 8, 14, 34 (bis), 172, 176 (bis), 180, 345, 353, 394, 397, 425, 486, 489, 609, 627, 646, 688, 714, 717	190 E, 336 B
				20+1°	2
Cist.				34, 65, 68, 71, 114, 128, 242, 506×, 509×, 647, 648, 657, 685, 725, 760 (bis), 768, (frgm. II: Gellius; 374 Priscian.)	

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
				15+2×+(2)	
Men.	182°, 233, 457, 582			44, 48, 49, 154, 268°, 323, 445, 464 (fort. A), 494, 506, 533, 599, 663, 648, 659, 679, 769, 782, 802, 826°, 932, 964, 1085, 1127, 132 (ter), 589, 808, 971 (*ũ est* B)	947 B², 860 D (103 Donat., 152 Charis.)
	3+1°			28+2°	2+(2)
Epid.	163, 167	562 AB 586 AB	177,247, 596×, (om. *es* P) 675	50, 37, 59, 117, 131, 136, 339, 409, 599, 623	335 fort. B, 480 B (bis) 483× B, 708 (*-m est* ex *·m es* B²) 710 B, 718 B
	2	2	3+1	10	6+1×
Merc.	550			12, 119, 165, 283×, 287×, 315×, 326, 421, 472×, 655, 658, 663, 727, 739, 842°, 1026	133 B, 258 BC, 366 B (CD transpos. *est*), 434 D² 482 BD², 495 D, 505×B, 535 CD, 546× D, 596 C, D ex corr. 644 D ex corr.
	1			11+4×+1°	9+2×
Mil.	169, 475, 485, 590, 723	173b AB² D²	35, 62 (cum Seccio) 278,377, 378,395, 406,574,	79, 173a×, 247, 295, 303, 344, 354×, 418, 520, 522, 675, 775, 793, 826, 882, 887, 909, 991, 1199, 1210, 1223, 1283, 1332	2 D³ Prisc. et Nonii G 180 CD (*ũ si* B¹ *ũ sit* B²) 451 B (CD transposuerunt) 664 CD, 694 B² CD

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
			600,609, 682		898° CD (-*a· es* B), 945 D ~*u est* ex ~*u st* C; 980 CD; 1012 B, 1123 B, 1149 B, 1197 CD, 1221 CD, 1409 CD
	5	1	11	21+2	13+1°
Most.	981, 1063		600 (om. rell.) 701,959	113, 131, 184, 190, 208, 224, 231, 251°, 295, 314, 350, 379, 412, 447, 476, 507, 622, 624, 531×, 636, 666× (-~*u* ~*e* CD), 681×, 769 (bis), 842×, 904, 948×, 1068, 1069×, 1090, 1142	237 B, 626 CD, 1102 Servius, libri transpos.
	2		3	23+6×+2°	3
Pers.	493, 595 (~*u* ~*e* CD) 599, 597		272,309, 364,496, 585,625, 693	201, 231°, 241, 266×, 488×, 607, (-*m* ~*e* CD), 647 (-*m* ~*e* C), 679×, 822 (-~*u est* BD -*um* ~*e* C), 838	681 (-~*u* ~*e*) B
	4		7	5+4×+1°	1
Poen.	427, 488, (cum Nonio), 597, 876,	927 AC	756,854, 925	106 (-*m est*), 141, 356, (cum Prisc.) 422, 433, 501, 567, 620, 630, 764×, 788, 793, 800, 823, 825, 858×, 909×, 913×, 1123,	158 C, (540 Nonius) 926 B; 1205 B (CD transpos.; -*u. est* A)

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
	1117, 1172, 1304, 1370,			1183 (B ex *us st*) 1195×, 1203×, 1225×, 1243, 1379×, 1420	
	8	1	3	18+8×	3+(1)
Pseud.	90(*est* supra-sor. B) 219, 377, 403, 679, 700, 913a	993 ACD	37, 85, 107, 402, 444, 474, 575, 919, 1076, 1121	124×, 238, 253, 269 (A incert.) 289, 304 (transpos. A), 495, 551, 568×, 710× (*ũ est* C), 715×, 736× (A *est* recte om.), 791 (bis), 872°, 1013, 1054 (fort. A), 1165, 1235, 1239 (*ũ est* D)	114 C (*u est* BD) 501 CD (*u est* B) 1113 B, 1146 CD (*-a est* B) 1221 D (*ũ est*)
	7	1	10	13+5×+2°	5
Rud.	220, 572			25, 47, 187, 196, 252, 301, 312, 322, 324, 382, 420, 484, 516, 583×, 706, 711, (*-ũ ẽ* B) 776×, 806, 928, 958, 960, 992, 1029, 1257, 1321, 1331, 1334, 1365, 1374, 1387, 1395	120 B, 225 B (*ũ est*) 377 B, Nonius (*ũ est*) 402 CD (*-u ẽ* B) 719 B (*-ũ ẽ*), C (*um est*) 938 B (*-m ẽ*), 926a BC 1246 (*ũ est*) CD
	2			30+2×	8
Stich.	5 (transpos P) 40, 238,		586	7a×, 44×, 94×, 99×, 120×, 131×, 218×, 219×, 314×, 434×, 464×, 467×, (*ũ st* B) 473×, 494×, 499×,	655 B

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
	333, 449, 544			503×, 550×, 626×, 676, 689×, 712, 732, 733 (bis), 751, 757	
	6		1	7+19×	1
Trin.	22, 553	526 ACD	227, 274, 308, 324, 329(ter), 406, 411, 451, 511, 542, 566, 745, 1058 1063	123, 921, 922, 1014°, 1063°	1166 B, 1185 B, 1186 B
	2	1	16	3+2°	3
Truc.	222 (-ũ *est* B)		203, 269	30, 65 (*ũ est* B), 80, 93, 171 (-*ū ē* B), 190× (-*ũ est* B), 218× (-*ũ ẽ* B), 223× (-*ũ est* BD), 269×, 368 (-*m aes* B), 416 (-*ũ est* BC), 626, 628, 633 (*ũ est* BC), 733° *enim* / *es*), 885 (-*ũ est* B), 888 (-*ũ est* B), 910	14 B, 417 CD, 750 (-*ũ est*) B, 897 (*ũ est*) B
	1		2	12+4×+2°	4
Vidul.			77		
			1		

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
	b) *-mst*				
Amph.				558 (*-m siet* pro *-mst et*)	217 (*-m st*) D, 1004 BD
				1	**2**
Asin.				155, 176 (*m* s. v. D), 178 (*-ē st* B), 186, 247, 248, 262 E; *ū st* B; *ū st* D; 329, 433 D, B (*-m st*), E (*-m sit*), 557 (*-m st* B), 689 (*ū st* B)	73 (*-ū st*) BE, 82 B[2] (*õst*), E, 172 D, B (*-ū st*) 259 D, B (*-ū st*)
				11	**4**
Aul.				676 (*-m st* B), 728 (*-ā st* B), 729 (*-ū st* B)	500 E, 735 (*-ũ st*) D
				3	**2**
Bacch.				524× (*-m st* BD, *ũst* C), 474 (*-m st* B, *-m st* D, *-ũs̃* C)	924× *aequõ st* B, 86 B, 103 CD, (*quidē st*), 143 B (*-m st*) 158 B (*-m st*), 240 B (*-m st*) 246 B (*-m st*), 312 B (*-m st*), 325 B (*-m st*), 329 B (*-m st*), 358 B (*-m st*), 379 B (*-m st*), 382 B (*-m st*), 388 B (*-m st*), 409 B (*-m st*), 501 B

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
					(-*m st*) C, 516 B (-*m st*) C, 716 B (-*m st*), 739 B (-*m st*), 755 B (-*m st*), 954× B (-*m st*), 994 B (-*m st*), 996a B (-*m st*), 1005 B (-*m st*), 1016 B (-*m st*), 1095 B 1141 B (-*m st*), 1156 B (-*m st*), 1190 B
				1+1×	**26+2×**
Capt.				61, 125, 259 (-*õ st* BDE)	357 E, 368 E (-*ũst*), 492 E (-*ũst*), 557 E 681 E, 794 E, 1000 B
				3	**7**
Cas.	968 (bis) 969		94, 129, 622, 666, 772, 878, 1012, 1015	223	
	3		**8**	**1**	
Cist.			103, 486, 506, 509, 519		781 BE (-*ūst*)
			5		**1**

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Curc.				49 (*-m st* B), 144 (*-m st* B), 165 (*-m st* B), 171 (*-m st* BE), 244 283, 284 (*-m st* B), 300 (*-m st* B), 272 (*-m st* B), 514 (*-m st* B), 532 (*-m sit*)	216 (*-m st*) D, 686 DE³
				11	**2**
Epid.		95 AB² (*-ũst* A, *-ũ st* B²,	483		100 B, 177× B, 334×B (*-ũ st*) 335 B ex ras., 426 (*-ūst*) B, 519 B (*-m st*), 532 B, 664 B (*-ũ st*), 675 B (*-m st*)
		1	**1**		**7+2×**
Men.				103, 997 (*-ũ st* B, *-ũst* CD) 1058 (*-ũ st* B *-ũst* D *-umst* C)	142 B, 893 (*-ẽ st*) B²
				3	**2**
Merc.	547	482 ACD 495 AB (*ũ st*) C ex corr. 534 AB	283	145 (*-m st* BC), 178 (*-m si* B) 324 (*-m st* B), 328 (*-m si* B), 362 (*-m st* C, *-m si* B), 454 (*-m st* B) 517× (*-ũ st* B), 533× (*-m st* B), 569 (*-m st* BC), 644 (*-m st* B) 663 (*-m st* B)	1 C, D (*-um st*), 132 CD, 258× D′ 344 CD, 434 CD 511 BC, 546× B, C (*-m st*), 596 BD
	1	**3**	**1**	**9+2×**	**7**

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Mil.	748 A *-m fi* P	1149 AD, *-mft* C	19, 31, 173a, 354, 593, 749	35 (*-ũst* BCD), 278×, 298 (*-m st*) 315, 600× (*-um si*), 1084, 1091 (*-um sc -iam* B), 1210	2B² (*ũst*), 173b: C, 281 CD, 377× B²; D (*ũ st*); C; 758 CD, 672 (*-ũ st*) B; 922 B (*-ū st*), 980 B (*-m st*), 1012 CD, 1024 CD, 1123 CD, 1156 CD (*-m st*), 1197 B (*-m st*), 1294 CD, 1306 CD, 1403 CD
	1	**1**	**6**	**6+2×**	**16**
Most.			681, 769 (bis), 1069	637 (*-m si* CD, *-m st* B)	52 B³ CD (*-ũst*), 237 CD (*-ũst*), 701 BD, (*-m s̄t* C)
			4	**1**	**3**
Pers.	343 (*-mst* B) 553 (*-m st* C) 560 (*-m sit* P)	681 ACD	266, 488 (*-msi*), 607	272× (*-m si* B), 364× (*-m st* BC), 453 (*-m st* BC), 496× (*-ũ st* B) 625× 633 (bis) (*-ũst* B), 693× (*-ũst* B, *-m st* C), 706× (*-ũst* B)	46 D, C (*-ũ st*) 585 CD
	3	**1**	**3**	**2+6×**	**2**
Poen.	466 (M aut		433, 490, 764, 858,	9 (*-m si*), 50 (*-m si*), 135 (*-m si*) (bis), 281	158 B (*-m st*), D, 633 (*-m si*) CD

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
	N A, -*m si* P) 572 (B ex ras.) 573, 919 (-*m si* P, *si* suprascr. B), 965 (-*m si* B -*m st* C)		913 (-$\widetilde{VS}$) 1225, 1379	(-*m st* BD), 540 (-*m si*), 607 (-*m st* C), 756× (-*m si*), 813 (-*m st* C -*m si* B), 854× (-*m si*), 925× (-*m si*), 1081 (-*m si*), 1303 (-*m st* C, -*m si* B)	926 D, C (-*m st*) 927 B (-*m st*), D
	5		**7**	**10+3×**	**4**
Pseud.			124, 452, 455, 715	402× (-*m si*), 575 (-*m st* B), 760 (-*m si*), 919× (-*m st*-), 1076× (-*m st* BD[1]); 1078 (-*m st* BC), 1121×, 1213 (-*m st* B), 1237 (-$\widetilde{u}$*st* D)	37× B, 1113 CD, 1221 BC
			4	**5+4×**	**2+1×**
Rud.			533 (-$\widetilde{UST}$) 576	123, 169, 701 (-$\widetilde{a}$ *st* B, -*am st* CD)	120 CD, 144 B (-$\widetilde{u}$ *st*), 225 CD (-*us*$\widetilde{t}$), 684 CD

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
					377 CD, 719 D, 838 D, 962a D, 1246 B (*-m st*)
			2	**3**	**9**
Stich.	329		7a, 44 120, 131 314, 464 473, 494 499, 503 550, 626 689	427 (fort. A), 684 (*-m si*)	665 CD
	1		**13**	**2**	**1**
Trin.	838		430	227× (*-m si*), 274×, 308× (*-m si*), 329 (ex *-mst* corrupt.), 368 (*-m si; si* om. A) 378 (*-m si*), 439 (*-m si*), 445× (*-m si* B, *-m sim* CD), 451× (*-m si*), 462× (*-m st* B), 511 (*-m si*), 533 (*-m si*), 578 (*-m si* B), 585 (*-m si*), 595 (*-m si*), 600 (*-m st*), 673, 745×, 801, 869 (*-m si*), 924, 932 (*-m si*), 1010 (*-m si* B) 1131, 1154, 1173 (*-imst* pro *-umst* B)	405 D, 608 CD, 631 D, 830 CD (bis), 903 BC, 1043 CD, 1045× CD, 1166 CD, 1185 CD, 1186 CD, 1188 CD
	1		**1**	**19+7×**	**11+1×**

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Truc.			190 (-*MSI*), 223, 269 369	549 (-*ũst* D, -*ũ sit* B), 789 (-*ūst* C, -*ũ sit* B), 962 (-*m st* C)	9 CD, 14 CD, 750 C, 897 CD
			4	**3**	**4**
Vidul.			35		
			1		

c) *-st* (= *-m͡ est*)

Amph.				538, 1048	862 BE
				2	**1**
Asin.					73 E, 82 B[1]D, 172 E, 259 E
					4
Aul.					
Bacch.				130 (*mentest* B, *mente est* D[2]C), 618 (-*ust* B, -*iust* C, -*iũst* D)	1049 (-*u st*) B, 1190 CD, 1170 (-*u st*) B, 691 (-*u st*) B
				2	**4**
Capt.					323 E (-*u est* BD) 564 E (*quidẽ*), 794 B
					3

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Curc.				263 (-*u st* B)	686 E^1
				1	1
Cist.					626 BE (*-us est* V)
					1
Epid.			334 (*ADEPTUST* pro *ademptum est*)		632 (-*u st*) B
			1		1
Casin.					
Men.	263			132, 320 (*u st* B, -*us t* CD), 367 (-*us t* CD)	142 CD, 364 B^2 (CD)
	1			3	2
Merc.			315		434 B, 505× C, 511 D^1 (*solitu^e est* D^2)
			1		2+1×
Mil.				1173	2 B^1CD^1, 281 B^2; B^1 eras., 513 B^2, 523 B^2, 756 (-*u si*) B, (-*usi*) C, 1403 (-*u st* [*at*]) B
				1	6

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Most.			948		
			1		
Pers.			371 (*-s st* P)	789 (*quidẽ* D ex ras.)	585 B
			1	**1**	**1**
Poen.			909, 1195, 1203		633 (*-e si*) B, 737 B
			3		**2**
Pseud.		331 ABD	289	452$^{\times}$, 760 (*pervias* C), 1045	37$^{\times}$ CD, 455$^{\times}$ BC
		1	**1**	**2+1$^{\times}$**	**2$^{\times}$**
Rud.				279, 387 (*-mst* D[3], *st* ex *s* B) 985, 1302 (*u st* B)	144 CD (*-ūst* B)
				4	**1**
Stich.			94, 99 (*OST*) 218, 219, 434, 467		
			6		
Trin.		1045 AB	445, 462	566 (*-usi* B, *uSi* CD) 890, 1058$^{\times}$, 1107	526 (*coactu Si* pro *coctum^ est*) B, 631 BC, 1045 B, 1188 (*otimust* pro *opt.*) B
		1	**2**	**3+1$^{\times}$**	**4**
Truc.			218	203, 910	9 B (*ventust*)
			1	**2**	**1**

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Vidul.			61		
			1		

d) ***-nst***

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Bacch.			924 (*AEQV-ONST*)		178 B *(mirun st)* 219 B *(paratun st)*, 335 B *(datunst)*
			1		**3**
Capt.					557 B, 894 BE, 1000 E
					3
Cist.			313		
			1		
Merc.			258, 287, 472, 505, 517 (*-MST* aut *-NST*), 533, 546, 553		
			7 vel 8		
Most.			631, 666, 842 (?)		
			2 vel 3		
Pers.			679 (*-NEST*)		46 B
			1		**1**

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Poen.			466 (?) 594, 926		
			2 vel 3		
Pseud.			568, 710, 1146		
			3		
Rud.					684 (-*n st*) B
					1
Trin.			378 (?)	271, 411 (-*n Si*), 430 ($\tilde{u}$ *unsi* pro *itunst*), 1063	405 BC (sed ita, ut in B, cum anteras. -$\tilde{u}$fuerit, nunc *factun steo* appareat), 608B, 830 B
			1 (?)	**4**	**3**
Truc.				607 (*lubitunt* B)	417 (-*un est*) B 750 D
				1	**2**

e) *-us est* pro *-um^est*

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Amph.				339 (-*us est*); 719 ($\tilde{us}$ D)	
				2	
Asin.				303, 830	
				2	
Aul.				567	
				1	

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Bacch.					1170 CD, 691 CD[1]
					2
Cas.					378 VE
					1
Cist.					626 (*necessus est)* V
					1
Curc.					336 EV
					1
Mil					2 (Noni H; *-u est* Noni L), 1024 B
					2
Most.					626 (*-ũs est)* B
					1
Pers.				371× (*-us st* P; *-ust* A)	
				1	
Poen.					1183 (*-us st* ante corr.) B
					1
Pseud.				107×, 289×, 535	331× (*-us ẽ*) C 474 (*-us ẽ*) B (*-us es*) CD, 993 B
				1+2×	**2+1×**
Trin.					141 (*-us sim*) CD
					1

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino

f) *-us* pro *-um^est*

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Aul.					(237 Nonius)
					(**1**)
Mil.				321, 749×, 956, 1024	77 CD, in B¹ eras., *decretu* B² (st), 378 B¹CD, 513 B¹CD¹, 672 CD, 922 CD, 1306 B, 1409 B
				3+1×	**7**
Most.					52 B
					1
Pseud.					387 (*st* ex *s*) B
					1
Trin.				1005	
				1	
Truc.				851	
				1	

g) *-um* pro *-um^est*

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Amph.				1075	423 D, 431 DE
				1	**2**
Asin.				174	
				1	

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Capt.					(765 Priscian.)
					(1)
Cas.					378 B¹VE
					1
Curc.				15	190 B
				1	1
Epid.				247×	95 B¹ ut vid. ($\bar{u}$)
				1×	1
Men.				152	860 B (-$\tilde{u}$)
				1	1
Merc					505× D
					1×
Mil.		694 (*-um si* pro *-um^ est si*) AB¹		19×, 31×, 62×, 359×, 406×, 593×, 609×, 816	377 (-$\tilde{u}$) B¹, 378 B², 513 D³ ($\tilde{u}$ ex *us*), 758 B, 945 B (-$\tilde{u}$) 1156 B (*-u*)
		1		1+7×	6
Pers.			706		
			1		
Poen.			1303	594	737 CD
			1	1	1

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Pseud.					455× D (*st* add man. 2)
					1
Stich.				189×	
				1×	
Trin.			533		
			1		

h) Prorsus corrupta

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Amph.				666 (*in mentem venit* pro *i. m. est*), 710 (*in mente est* pro *in mentem^ est* i. e. *i. mentest*)	
				2	
Bacch.			502 (*optumum est* pro *optumest*)	738	
			1	1	
Cist.				722 *impetratumst*] *impetra et tu* P	701 *liquidumst*] *hi qui sunt* B²; *li* pro *hi* B¹
				1	1
Men.				947 (*es* pro *est*); 893: *quidemst*] *quid est* B, *quidea est* CD	1085 *vostrorum est*] *vestro est* D
				2	1

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Merc				39 *(certum et)*	1 B, 344 B
				1	2
Mil.			180 *(periunduset)*	682× *(-us sonus* pro *-ust onus)*, 1156, 523 *(negotiis)*, 574 *(esset* pro *est sed)*, 675	180 CD, 756 D, 898° B *(-a es)*, 1221 B *(es* pro *est)*, 1294 B
			1	4+1×	4+1°
Most.				316 *taesumst*] *tesuut* 720, 959	
				3	
Pers.				309 *(-m sed)*	
				1	
Pseud.				444 *aequom est*] *equo est*	
				1	
Rud.				947 *mane dumˆest*] *modo est*	
				1	
Stich.			189 *(-MET)*	586× *sustentavi* pro *-tatumst*	
			1	1	
Trin.				324 *quaedamst*] *que dant*, 329 *-m sĩ* pro *-mst*, 542 *patientissumumst*] *pacientis sum munc sĩ* B — — *mun sim* CD, 813 *maxumumst*] *maxumist*	830 *(equnct* pro *aequomˆest)* B, 830 *quiddampst* D
				4	2

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Truc.				176° (*esse),* 269 (*-m et),* 369, 595 (*nequid* pro *nequam⁀est),* 605 (*lubido est* pro *lubitum⁀est*), 873 (*iure mea* pro *in rem meam⁀est*), 886 (*etiam* (*&* *ĩa* B) *se* pro *etiam⁀est*)	
				6+1°	

II. *-us⁀est.*

Scriptum est: a) *-us est.*

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Amph.				88, 100, 242, 250, 263, 293, 323, 352, 363, 362, 381, 506, 615 (bis), 664, 850, 1103, 1107, 1176	175 DE, 1074 E
				19	**2**
Asin.				215, 312, 357 (BD), 363, 410, 413, 596, 640, 820, 911	
				10	
Aul.				196, 76, 193, 389, 402, 419, 468, 472, 564, 568, 723, 790, 830°	
				12+1°	

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Bacch.	947			151, 221 (cum Charisio), 308, 581, 602°, 642, 937, 1198	336 C, 457 C, 462 C, 783 CD, 946 CD, 1045 CD, 1104 CD, 394 CD (*-s st* B), 749 CD
	1			7+1°	9
Capt.				295, 317, 422, 463, 984, 992; arg. 1; 144, 150	163 DB
				9	1
Cas.	112, 734°			40× (cum Servio), 241, 263, 264, 265, 416°, 444, 497, 592×, 741×	
	1+1°			6+3×+1°	
Cist.				91, 94×, 531, 602, 662	576 B
				4+1×	1
Curc.				79, 86, 96, 105, 184, 275, 462, 519	
				8	
Epid.				49, 60, 69, 141, 359	336 E
				5	1
Men.	579			243×, 651, 831, 905, 1097 (*ibi* in ras. ex *est* C)	1091 B
	1			4+1×	1
Merc.				466×, 614×, 188, 335, 565, 816, 944	48 B, 169 CD (*-s st* B), 439 B,

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
					513× BD², 656 (*-us est* ex *u st*) D, 767°× CD, 876 CD, 1004 B, 719 CD (*-s st* B)
				5+2×	7+1×+1°×
Mil.	683 (transpos. P)		351, 1154	914a, 987, 1081, 1223 (*-us est* pro *u's*)	arg. 4 CD, 389 B²CD, 409° B²CD, 914 b B, 986 CD
	1		2	4	4+1°
Most.	952 (*-s ẽ* CD)		891	287, 309, 697×, 993, 1068× (*-us st* A), 1084, 1087, 1147, 1157	1175 B
	1		1	7+2×	1
Pers.	401		369	14, 80, 211, 236°, 244, 484°×, 530, 634×, 650, 830, 838, 840	
	1		1	9+1×+1°+1°×	
Poen.	861, 1361		294, 584, 902 (*-us st* P)	64, 230, 444×, 645×, 1120, 1125, 1179×	
	2		3	4+3×	
Pseud.		310 AB	385, 648, 1255	235, 248, 309×, 418× (*est* transpos.), 465×, 713× (*opus st* A), 745, 746, 748 (*ẽ scitus* CD), 1216×	1177° BD
		1	3	5+5×	1°

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Rud.				27, 100, 141, 220$^{\times}$, 384, 460, 926a, 937, 1044, 1054(bis), 1071, 1073, 1083 (ex *ūst* = -*ū st:* Langen pag. 161), 1091, 1158, 1189, 1205, 1224, 1360	
				19+1$^{\times}$	
Stich.				50, 95$^{\times}$ (bis), 97$^{\times}$, 134$^{\times}$, 290$^{\times}$, 588$^{\times}$, 662, 681	
				3+6$^{\times}$	
Trin.		242 ACD	432	43$^{\times}$, 712 (*ẽe loquar* pro *ẽ eloquar* B), 912°	963 B, 1122 C
		1	**1**	**1+1$^{\times}$+1°**	**2**
Truc.	236			48, 149, 150, 164, 316 (*ẽ* B), 316, 500 (*ẽ* B), 523, 595, 699, 846 (*ẽ* BD), 902, 904b, 928 (*ē* BD); 960	
	1			**15**	

b) ***-ust.***

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Amph.				324° (cum Nonio), 379°, 411°, 445, 656, 776, 780°, 856, 1138°	429 BD (*-us tu iam* pro *-ust viam*) 175 B², 970 DE, 1074 B,

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
					1038 DE (frgm. VI (VII)° Non.)
				4+5°	**5+(1°)**
Asin.				25°, 39°, 89, 411°, 537, 662°, 675	249 BD
				3+4°	**1**
Aul.				417°, 740°, 763°	
				3°	
Bacch.	486	946 A; B (*uust* ex *us est*)		93°, (*-us es* B²), 160°, 609 (*-us st* B); 749 (*-us st* B), 885°, 990, 993	76 BD², 328 BD (*-u st*), 336 BD (*-u st*), 457 B (*-u st*); D, 462 BD, 783 (*-u st*) B, 749 B (*-u st*), 1045 B, 1104 B, 1174 B, 394 B (*-u st*)
	1		**1**	**4+3°**	**11**
Capt.				154°, 183°, 198, 225, 277, 568°, 569°, 789, 806, 867°, 870°, 933°, 965°, 990, 994	163 E, 937 B
				7+8°	**2**
Cas.	812°		40, 592, 741, 988 (om. P)	245°	
	1		**4**	**1°**	

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Cist.	248°, 295°, 492°		94		
	3°		**1**		
Curc.				75° (cum Prisc.), 162°, 169°, 414°, 417, 547	
				2+4°	
Epid.	710°			41, 44, 284°, 411 (*-u st* B), 534, 551°, 630°, 652°, 671, 697°	336 B (*-u st*)
	1°			**5+5°**	**1**
Men.	176°, 177°, 493°			36, 44, 293°, 311°, 312°, 329, 352 (*-us* Varro), 404, 433 (*opusi*), [484], 451 (*-u est*), 825°, 935°, 946°, 1104°	282 BD (*-ast* C; *-u est* aut *us est* A)
	3°			**6+1** *(-u st)* **+7°+[1]**	**1**
Merc.	538 (*t* er. B)	248 A,D e. corr. 513 ACD[1], 769° AB	466, 614	368, 371°, 463× (*-st te* CD, *-s ite* B), 622°, 656 BC, D *-us est* ex *u st*, 726°, 752°, 756°, 833 (ter; B *-u st*), 854 (*-u st* B, *u est* D), 945 (*-u st* B), 976°	876 B, 936 CD[1], 1004 CD, 194 CD, 419 CD, 439 CD
	1	2+1°	**2**	**7+1×+6°**	**6**

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Pseud.	272°, 396°, 620°, 631°, 735, 879°, 937°, 1084, 1180°, 1310°		1, 418, 645, 1216	208×, 244°, 348°, 385× (ex ras. B), 395°, 521, 717× (*-s st* A), 805, 806, 980°, 1193, 1206, 1251, 1259	310× CD, 1177° C
	3+8°		**4**	**8+2×+4°**	**1×+1°**
Rud.			220	81, 85, 135, 256, 590, 847°, 871°, 970, 982°, 1011, 1021, 1152°, 1156, 1254°, 1355 (*-us t-*), 1376, 1386°	328 CD, 872 B (*-s st* CD), 877 B ex ras; C, 1057 BD (*-s st* C)
			1	**11+6°**	**4**
Stich.	263°, 317°, 321°, 541	59 A; B (*-u st*; (*-s st*CD) 81 AD, (*-s st* BC)	95 (bis) 97, 134, 428°, 588	372°×, 759°	
	1+3°	**2**	**5+1°**	**1°+1°×**	
Trin.	63°, 198°, 311 (bis)	206 AB (*-usi* B[1]),	43, 364, 365, 366, 368	136, 553 (*-usi* B), 686, 714°, 753×, 812, 938, 969°, 975°, 980°, 982°, 1027, 1148,	242× B, 432× (*-usi*) B, 596 (*-usi*) B, 963 C, 1122 BD

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
	1061	263 ACD,		1165°	
	3+2°	2	5	7+1×+6°	3+2×
Truc.	231, 355°, 304 (-*s te* P)		216, 233, 265, 316	31, 150°, 152°, 317×, 506, 508, 604°, 721, 844°, 867°, 912°, 936, 949°, 955°, 966	775 B (*meost* CD)
	2+1°		4	6+1×+8°	1
Vidul.			23°		
			1°		

c) *-us*

Amph.				482	970 B, 1074 D, 1038 B
				1	3
Asin.				376	
				1	
Bacch.				774	76 CD[1], 328 C, 1164 CD
				1	3
Capt.					937 VE
					1
Epid.			641 (om. P)	669	
			1	1	
Men.			234	181, 890	1091 CD
			1	2	1

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Merc.			463	396, 951	194 B, 419 B
			1	2	2
Mil.	1179 (-*s* aut -*st* A)			202× B¹CD, 292, 351×, 469×, 1213	348× CD, 986 B, 1154× B, 1233 B,
	1			2+3×	2+2×
Most.				891	
				1	
Pers.			436		
			1		
Poen.	677		436 (-*s si* P)	568, 679×, 976×	
	1		1	1+2×	
Pseud.				1×, 1255×	
				2×	
Rud.				118, 145, 278, 1075, 1379	
				5	
Stich.				769	
				1	
Trin.				365×, 366×, 537× (*incitast redactust* A), 706	432× CD
				1+3×	1×
Truc.				173, 233×, 265×, 602, 808, 926, 948	
				5+2×	

d) *-um est* pro *-us est.*

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Asin.				646	
				1	
Bacch.					1174 CD
					1
Cist.					576 VE
					1
Merc.					936 D[2]. (*-ũ st*) B
					1
Mil.				88, 1043 (*-um st*)	
				2	
Most.			697, 947 (*-um*)	229 (*-um si* B, *ũ si* CD), 751	
			2	2	
Pseud.	1001 (*-mst* A, *-m est* P)		389 (*-mst*)	648×	
	1		1	1×	
Rud.				964 (*-ũst* B, *-um st* CD), 1143	977 (*-ũ st* B ante ras. *-umst* D)
				2	1
Stich.			290 (*-mst*)		
			1		

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Trin			753 (*-m est*)	112 (*-ũ st* B, *-um st-* CD), 368 (*-ũ st* B)	263 B, 264 B, 963 (*ũst*) D
			1	2	3
Truc.			317 (*-m est*)	487 (*ũest* C, *ũ est* BD)	
			1	1	

e) Prorsus corrupta.

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Amph.					429 E (*-us iam* pro *ust viam*)
					1
Asin.				534	249 E (*-us vel*)
				1	1
Bacch.					1164 (*opus verbist*) B
					1
Cas.				525	
				1	
Cist.				701, 722	
				2	
Epid.				560	
				1	
Merc.				330 333 } *st* transpos.	248
				2	1

Fabulae	in AP	A cum uno aut altero Palatino	A	P	in uno aut altero Palatino
Mil.				1023	arg. 3 (*stot* pro *-tust*) C, 235 (*-us sum*) B[1]C et ante ras. D; *est* suprascr. B[2]; 389 B[1], 409° (*-u st*) B[1]
				1	**3+1°**
Most.				445, 873	258 (*opos*, *u* suprascr.) B
				2	**1**
Poen.			959 (*u est*)	288 (*-s si*); 294 (*-s sit*), 311 (*-s si*), 374 (*-s sit*), 436 (*-s si*), 546 (*-s si*)	557 CD
			1	**6**	**1**
Pseud.	1204 (?)		713 (*-s st*) 717 (*-s st*)	248 b	
	1 (?)		**2**	**1**	
Rud.				963	
				1	
Trin.	264 (?)			364 (*-us siet*)	206 CD, 596 (*gestandu*) C, (*gestandum*) D
	1 (?)			**1**	**2**
Truc.				167, 316, 333, 619°, 663, 904a, 934	
				6+1°	

VITA.

Natus sum Otto Brinkmann Hosteddae, in vico Guestphaliae, die XXI. mensis Septembris anni 1882 patre Friderico, matre Ludovica e gente Lippmann. Fidei addictus sum evangelicae. Ludos frequentavi primum vici patrii, deinde oppidi proximi Luenensis, donec parentes me puero decem annorum Susatum se contulerunt. Per novem annos inde ab anno 1893 usque ad a. 1902 institutus sum in gymnasio huius urbis, quod adhuc Carolo Goebel directore prosperrime floret. Testimonio maturitatis instructus vere anni 1902 Friburgum Brisgavorum migravi, ut philologiae me dederem. Inde ab autumno eiusdem anni per ter sex menses Berolini versatus vere anni 1904 Marpurgum me contuli, ubi per quattuor semestria litteris operam ac studium dedi. Berolini proseminario philologo interfui; Marpurgi ut per sex menses proseminarii, per duo semestria seminarii sodalis essem Birt Kalbfleisch Maass directores benigne permiserunt. Ad exercitationes historicas me admiserunt viri doctissimi Berolinensis C. F. Lehmann, Marpurgenses Niese et von der Ropp. Examen rigorosum superavi die 20. mensis Iunii anni 1906. Usque ad diem promotionis domi versatus sum, ut ad examen pro facultate docendi sustinendum me pararem.

Docuerunt autem me viri doctissimi Friburgenses: Fabricius, Lommatzsch, Reckendorf, Schmidt, v. Simson, Thurneysen, Berolinenses: Delbrück, Diels, Doering, Heinze, Helm, Kalkmann, Kekulé von Stradonitz, Lasson, C. F. Lehmann, Ed. Meyer, Münch, Paulsen, E. Schmidt, W. Schulze, Tangl, Vahlen, Wentzel, v. Wilamowitz-Moellendorf; Marpurgenses: Birt, v. Drach, Kalbfleisch, Maass, Natorp, Niese, v. d. Ropp, v. Sybel, Thiele, Wenck.

Quibus viris doctissimis omnibus gratiam habeo, maximam autem Birtio magistro, qui ad hoc opusculum suscipiendum me invitaverit atque in elaborando saepissime opera et consilio me adiuverit.